

C.A. 66-6. 69=9

69-8

2-7-19

Biblioteca	Real
Sala	A
Estante	39
Tabla	
Número	486

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	39
Número:	486



Handwritten scribbles and a diagonal line, possibly a signature or date.

~~V. A. 66-6. 69=9~~

5-7

~~5-7~~

Biblioteca	1946
Sala	A
Estante	39
Tabla	
Número	486



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	39
Número:	486

CARMINA SACRA.



AD LECTOREM. ^{M-1429H}



Rodeunt tandem carminum meorum libelli, quos non tam mea quam amicorum meorum voluntas expressit, huc me impellentium timidum & detrectantem exponi nasuto huic & fastidioso mundi theatro. Quos inter cum essent, qui vel ipsa factente invidia principatum in hac arte obtinent, minus gravatus sum facere, quod factum vides. Alioqui cum ipsa poësis hoc sæculo in nullo fere sit pretio, & summi etiam poëtæ vix laudem, quantum promerentur, ferant, imo nugas agere dicantur, & lusibus puerilibus occupari, quid erat, quod me multum movere poterat ad exeundum in lucem? Jacta nunc est alea, amice Lector, nec sine spe æquitatis tuæ, quam frustra ab iis expectamus, qui his sacris sunt infesti, ea de causa, opinor, quod auribus careant poëticis, quas paucis mortalibus datas esse jam olim a magni nominis Viro pronuntiatum est. Hinc accidit ut optimi illi & purissimi poëtæ Virgilius, Horatius, Ovidius, aliique destituti sint sua laude; & barbari a quibusdam habiti & solocci, foetusque se indignos produxisse. Tales

* 2 cen-

AD LECTOREM.

censores tulit parentum nostrorum ætas : nec aliter censent hodie , qui non trahuntur hac cantionis dulcedine , damnantes sæpenumero , qua valent judicandi facultate , in hujus temporis scriptoribus ea , quæ sunt laudatissima & proxima genio aurei sæculi , unde unice sibi exempla proponere debent , qui aliquid cupiunt præstare in hoc scribendi genere. Nos vero Josepho Scaligero maximo gravissimoque auctori assentimur , de poëtis ferre judicium , poëtarum esse duntaxat , idque non omnium , sed optimorum. Cæterum , quod isti volunt , quid est culpandum in hac arte innocenti planè & ad delectandum nata , quam attingere non erubuerunt homines nobilissimi & gravissimi , qui licet aliis naturæ dotibus essent conspicui , tamen famam suam acceptam tulerunt soli carminum scribendorum facultati ? Perversa enim prorsus eorum est sententia , qui clamant poëtas in solis versibus faciendis consistere , nihilque præter numerum adferre , id est , ut ille ait , in nugis canoris operam ponere , cum certe nemo poëtis sit annumerandus , qui non

AD LECTOREM.

per omnia doctrinarum spatia liberiore cursu feratur , atque ita scripta sua expoliat ornamentis petitis è solida eruditione. Nostra sic est ratio , licet sentiamus quam exiguæ nobis sint vires , & quam procul absumus ab eo fastigio , quod paucissimi semper adscenderunt. Sed jam inde à pueritia , quod novit patria mea , adamavi hanc portionem liberalis eruditionis : quam propensionem ex eo tempore foverunt Viri in nostra Batavia celebres , & harum rerum peritissimi. Eorum itaque hortatu etiamnum horas meas à gravioribus laboribus vacuas ita colloco , melius esse judicans uti hac animi relaxatione , quam temporis publicis curis impensè reliquias decoquere in vino & alea , vel contendere rixosis ac pugnacibus libellis , quibus nuper scatebant omnia. Nec à munere meo alienum puto sic præire juventuti , eamque ad hæc studia excitare , cum non aliunde facilius petatur modus orationem vel solutam , vel ligatam , variandi per diversas facies , eique sensim motum addendi & ornamentum. Composui profecto me , quantum

potui, ad optimos scribendi magistros, & eorum vestigia sum secutus, licet impari passu, non sentiens cum illis, qui statuunt nulli prorsus usui esse imitationem, & unumquemque volunt ire, quo trahit indoles, imo, quod ridiculum est, omnem imitationem furtum esse contendunt. Quod dum faciunt, non vident, se Virgilium aliosque summos viros furti accusare. Hunc in usum non modo psalmos aliquot nobis exprimendos proposuimus styli exercendi causa, sed propius etiam hic illic Buchananum, præstantissimum poetam, secuti adolescentiæ ostendere volumus, quam facili negotio unum metrum convertatur in aliud, si vel mediocris alicui sit vena. Deinde & alia tentavimus, varie indulgentes ingenio, prout res ferebat, non prætermisissis juvenilibus, quæ non video cur excussem, cum magis sint ficta quam facta, & omnes poetæ, etiam sacri ordinis Viri, eam viam sine ingressi. Sed ipse videbis, Lector, & pro tua benevolentia sententiam feres. Patere me non bonis auspiciis hanc carminum meorum collectionem proferre, & vale.

Latina sua poemata divulganti.

*H*oogstratana diu testis ignota latebat,
 Solis & erubuit Musa videre jubar.
 Carceribus tandem in lucem prorumpit apertis,
 Nec tantum Batavo gaudet in orbe legi.
 Prodierat modò Teutonicâ circumdata pallâ,
 Cyclade nunc Latia conspicienda venit.
 Laeta tuam genetrix agnosce Batavia prolem,
 Tuque parens animos Rottera sume novos.
 Urbe tua primas insans tener imbibit auras:
 Mox puer & juvenis crevit in urbe tua.
 Moenibus hunc ipsum vestris invidit honorem
 Amstela. Qui tuus est, jam meus, inquit, erit.
 Ille ego, qui plures genui, fovique, poëtas,
 Hunc mihi jure meo posco, vocoque meum.
 Tu modò, tu patrii deserta fluminis unda,
 Huic succede meo, culte poëta, lari.
 Paruit, & nostræ procumbens margine ripae
 Cantat ad Amstelias nobile carmen aquas.

PETRUS FRANCIUS.

DAVIDIS HOOGSTRATANI

*I*ngenii flores, Hyblae vernantis imago
 Nobilis, Ausonio nectare foete liber;
 Salvete Aonidum munus praesigne Dearum,
 Salve Hoogstratani pagina docta mei.
 Vosne ego cum rancis fatua de plebe cicadis,
 Vosne ego cum pingui contulerim populo?
 Purior hic dulces animavit spiritus odas,
 Purior argutos defluit in numeros:
 Et mentem vincire nova dulcedine pellax
 Non excussuris haeret in auriculis.
 Hic Lepor, hic Veneris species nativa Latinae,
 Qualis in Aeneae floruit urbe sui.
 Vos quoque cum Latiis longum florete poetis
 Carmina, Romanis proxima carminibus.

JANUS BROUKHUSIUS.

DAVIDIS HOOGSTRATANI ³
 CARMINUM SACRORUM
 LIBER.

PSALMUS I.



Eatus ille, qui viam rectam terit,
 Turbamque vitat impiam:
 Horretque foedi criminis labem gravem,
 Sannamque posticam fugit:
 Verum supremi sacra iussa Numinis
 Pervolvit imo pectore,
 Totusque versat, sive nox diem fuget,
 Umbraeve nocturnam dies.
 Qualis virentis confisa arbor margine
 Ripae; feraces gemmulas
 Extrudit, & mox uberes fructus gerit,
 Latoque proventu beat
 Gnavum colonum, & saeva durat frigora,
 Et impetum venti ferum,
 Diffusa late, & frondibus comans novis,
 Et crescit usque florida.
 Talis vir ille est, turba sed nequam perit,
 Ut floccus in ventos abit:
 Nec ora magni sustinere Judicis
 Valebit aut tristes minas:
 Qui crimosos vindicatura manu
 Secernet à pio grege.
 Nam nec carebunt praemiis suis boni,
 Nec poena deseret malos.

I D E M

Alio Carminis genere redditus.

O quam beatus, qui neque devios
 Vitæ magistros auribus excipit,
 Nec impios coetus secutus
 Turpe nefas animo volutat:
 Nec execrandis perpetuus comes
 Adhæret irrisoribus: at Dei
 Præcepta per noctem diemque
 Mente coquit veneranda in ima.
 Qualis virentis confita margine
 Ripæ, decora fronde superbiens,
 Exporrigit ramos gravatos
 Arbor, & exhilarat colonum,
 Et vim rigentis frigoris ardua
 Ventosque favos spernit, honoribus
 Ornata diffusis, & usque
 Assiduo speciosa fructu.
 Talis vir ille est: turba sed impia
 Ut gluma vilis turbine spargitur,
 Nec Judicis vocem supremi,
 Nec rigidum feret illa vultum.
 Sed nec honorum mixta cohors chore
 Scelestæ statit: nam Pater optimus
 Ut facta justorum præbabit,
 Fulmine sic feriet scelestos.

Quo vanæ tandem gentes fremuere tumultu?
 Quid crepitat diras impia turba minas?
 Quæ proceres animat, quæ tandem insania reges,
 Ut moveant summo tristitia bella Deo,
 Inque Dei sobolem fundant convicia foeda,
 Et renuant ultra subdere colla iugo?
 At Pater æthereus ridet molimina stulta,
 Et parvas vires, invalidasque manus,
 Tum demum laxas iræ permittet habenas,
 Cœptaque contundet cœca furore suo.
 Oraque sic solvet: Regis diademate cincti
 Arduus excipiet sceptrâ superba Sion.
 Is sibi commissis late dominabitur oris,
 Et populis leges & mea jura dabit.
 Mox lætos ad me vultus convertit, & inquit:
 Hoc ego produxi te genuique dic.
 Me modo posse: (tibi quid enim, dilecte, negarem?)
 Imperio gentes subjiciamque tuo.
 Oceanus vastum qua circumfunditur orbem,
 Stabunt hæredi debita regna meo.
 Ferrato coges sceptro frangesque rebelles,
 Ut facta è Samio vasa caduca luto.
 Quare agite, o Reges, cultum præstate Tonanti.
 Tam crassis tenebris pectora vestra vacent.
 Lætitiæque Dei vestræ miscete timorem,
 Per vos ne careat natus honore suo.
 Ne justus vindex violentas colligat iras,
 Et meritas poenas facta nefanda luant.
 Felices, quibus hæc animo conduntur in imo,
 Et quibus in Domino spes sedet una suo,

Quam congregatis impia viribus
 Me turba vexat, meque odio ferox
 Meu integrum & nil promerentem
 Prosequitur, sine fine, longo!
 Quam perditorum factio noxia
 Meam in ruinam jurat, & insolens
 Me gloriatur spe carentem
 Destitui auxilio Tonantis!
 Cum tu sub umbra me clypei tui
 Depraliantem texeris indies,
 Auctorque sis laudum mearum, &
 Me decore assiduo corones.
 Cum me precantem deque suis Deus
 Ipsum invocantem montibus audiat,
 Recumbo securus, metuque
 Absque gravi mihi currit hora.
 Deo excubanti non genibus tremam,
 Non corde: nulla est anxietas mihi
 Fractura mentem, nec malorum
 Agmina me poterunt movere.
 Tu ductor ipse in praelia, liberes
 Ut me timentem, devenies Deus,
 Hostesque turbabis feroces,
 Atque manu minues potenti.
 At tu, salutis maxima spes meae,
 Spes sola mundi, tu populo tuo
 Te praebeas semper benignum,
 Quem placido tueare vultu.

Alme Pater, rerumque Deus tutela mearum,
 Cui ratio est vitae cognita tota meae,
 Quem non integritas latuit mea, cuique pericla
 Acceptum refero me superasse mea,
 Per quem nostrorum discussus turbo malorum est,
 Da lacrimis nostris, da precibusque locum.
 O curvas hominum mentes! o pectora caeca!
 Isti quid motus, quid juvat iste labor?
 Irrita quid facient mendacia? quidve scelestum
 Sacrilegae facient in mea damna manus?
 Quem Deus elegit multis de millibus unum,
 Huic dedit imperii frena tenere sui.
 Ille meis patulam praebit vocibus aurem,
 Auxiliumque mihi protinus ipse feret.
 Ergo Deo justum cultum praestare verendo,
 Et tota foedas linquite mente vias.
 Vobiscum tacitae per longa silentia noctis
 Volvite secreto crimina vestra thoro.
 Turpia non extis pecudum peccata piantur.
 Insons sacra facit mens meliora Deo.
 Haec aris admota facit sperare favorem,
 Dandaque ab aetherea munera larga manu.
 At gens casta fide sic dicit murmure cocco:
 O quis quod poscit vita caduca dabit?
 Haec illorum animos cupidos vota una fatigant:
 Hoc desiderii omnibusque rogant.
 Sed valeant: precibus nostris si rite vocatus
 Respiciat vultu nos Deus ipse suo.
 Ille mihi exhilarat mentem, licet horrea farre
 Impleat, & vinis turba profana suis.

Ast ego securus placidæ dabo membra quieti.
 Debetur foli gratia tanta Deo.
 Ille mihi mentem firmat per tanta pericla,
 Speque mihi multa pectora lata facit.

P S A L M U S VI.

O qui gubernas cuncta, Pater bone,
 Ne me merentem corripe, dum tuq̄
 Incensus indulges furori,
 Et valide tibi fervet ira.
 O parce clemens! o Pater abstine!
 Me languor ægrum conficit. o manum
 Quin admove mitis medentem,
 Ne peream assiduo dolore.
 Corpus solutis ossibus omnibus
 Languore squallet, deprimit & meam
 Amara mentem cura, nulla
 Latitia reparante vires.
 Quo me usque linques? alme Deus, redi,
 Meque inferorum è faucibus eripe.
 Jam spiculum vibrat cruentum
 Frigida Mors, animumque terret.
 Injecit atras cum semel hæc manus,
 Quæ cuncta perdunt, quis memor est tui?
 Quis obrutus possit tenebris
 Rite tuum celebrare nomen?
 De nocte pectus percussio meum.
 Et imbre falso tingo cubilia.
 Mi lacrimae currunt perennes.
 Strata madent sine fine fletu.
 Obscura sunt & lumina jam mihi,
 Hebentque longis agra doloribus.

Et hostium ridente turba,
 Membra miser traho quassa luctu,
 At dura nobis gens operans malo,
 Facesse tandem. Spes periiit tibi.
 Nunc audiit Numen gementem,
 Et solito rediit favore.
 Deus benignus me prece supplice
 Sese invocantem exaudiit, & bonus
 Respexit ad longas querelas,
 Ut subito obrueret pudore
 Hostes struentes insidias mihi,
 Quos pallor albus, quos timor in fugam
 Stupore percussos inertii
 Conjicit auxiliante cœlo.

P S A L M U S X.

Æterne cœli Rector & Arbiter,
 Quonam tuorum cura fugit tibi?
 Quonam usque cessas, dum cruenta
 Impiêtas premit innocentes?
 O si scelesti, quos adhibet, doli
 In damna gentis, magne Deus, tuæ,
 In verticem auctoris redundant,
 Ut proprias pereat per artes!
 Dum tota laxat frena libidini,
 Se gloriosus jactat, & in sinu
 Dum gaudet, in laudes avari
 Blandiloquis parat ire verbis,
 Cœlumque probris lædere turpibus,
 Superbus, atrox, & caput efferens,
 Et immemor Regis supremi
 Ævum agit, fugiente cura.

Felicitatis fomnio amabilis
 Indulget alto, prospera quod sibi
 Sors ridet, & cursu secundo
 Perpetuò sibi vita currit.
 Nec te futurum cogitat, o pudor,
 Ullo severum tempore judicem,
 Nec vindicaturum, scelesto
 Quæ toties animo patravit.
 Non horret hostes magniloquus suos,
 Vanusque secum computat, atque ait:
 Incommodi expers ad senectam
 Latitia afficiar serena.
 Non cura mordax gaudia polluet;
 Non ægritudo, non dolor ingruet:
 De nocte gaudebo dieque,
 Multiplici ratione felix.
 Os improbum convicia despuit,
 Spumatque probris atque dolis malis.
 Et pestilens justis labores
 Lingua parit sine fine tristes.
 Circa viarum compita, callidus
 Fraudes in omnes, insidias locat.
 Ut involet clam non merentem,
 Et vario cruciet dolore.
 In transeuntes lumina pauperes
 Desigit acris: ceu leo, qui latet
 Lustris in altis clausus, imis
 Exiliens subito latebris
 Prorumpit atrox, undique & imminet
 Infirmiori, nexibus attrahens
 Sic involutum, retibusque
 Impediens miserum dolosis.

Quin & tenebris callidus occulit
 Crudelitatem fraude potens sua.
 Ah strage quanta transeuntes
 Traxit in insidias latentes!
 Sic deinde secum colligit impiè,
 Stulteque dicit, Quod facimus, Deus
 Ignorat, averfusque nostri
 Immemor est, vacuusque cura.
 Exsurge tandem: tolle, Deus, manum
 Severam in altum, vulnera figito.
 Ope indigentes ne relinque.
 Affer opem, Pater alme, fessis,
 Tene impiorum insania pervicax
 Contemnere ausit? pectore murmuret
 Ut clam latenti: nostra numquam
 Facta Deus mala pensitabit.
 Cernis profecto cuncta, latet nihil.
 Cernis profecto, magne Deus: tuam
 Evadet haud dextram scelestus,
 At meritas dabit ille pœnas.
 Ut te piorum incommoda maxima
 Non præterire intelligat, anxias
 Qui proferunt mœsti querelas,
 Teque suis precibus fatigant.
 Tibi relictus pauper & innocens:
 Tu tutor orbos protegis undique:
 Tu frange vires impiorum,
 Et petulantem animum coërce,
 Dum stirpe cascâ est impietas sua.
 Sic sic deinceps sæcla per omnia,
 Plaudente justorum caterva,
 Firma, Deus, tua regna stabunt.



Gentesque terræ finibus ex tuæ
Exterminabis tu procul impias.

Hac vota fundit turba iusta, &
Auxilium, Pater alme, quærit,
Et illa tantis acta periculis,
Fletusque fundens, perpete postulat

Te voce, te crebris querelis,
Ut releves inopum dolores;
Ut quos egestas opprimit aspera,
Quos vexat atrox turba potentium,
Solers, & fastus superbos
Impietas furibunda ponat.

P S A L M U S XVIII.

Dicimus Regem maris atque terræ
Et poli, nostrum decus ac salutem,
Cujus innixi auxilio cruentos

Fudimus hostes.
Nos graves curæ, & stimuli dolorum
Cinxerant late, & rigidæ catenæ
Mortis, & fraudes, Ereboque quidquid
Surgit ab imo.

Sed tuum nomen, validamque dextram,
Gentis humanæ Pater, invocantes
Rebus in duris bonus audiisti
Æthere ab alto.

En Deo irato tremunt ipsa tellus,
En tremunt celsi trepidantque montes,
Et statim moti subito pavore

Culmina quassant.
Prodit iratus Deus, ille iustus
Criminum vindex: nebulas migrantes

Naribus volvit, rutilasque flammas
Faucibus efflat.

Prodit en Rector Superum ex Olympo,
Et polum incurvat, laquearque mundi,
Et super terras vehitur, latetque
Imbribus atris.

En truces venti fugiunt, fugitque
Turbo permixtus nebulis aquosis,
Et vagis flammis. Deus e suprema
Detonat arce.

Et suam intendit per inane vocem,
Et vibrans ignes superis ab oris
Territat gentes, & ubique sternit
Agmina sæva.

Pandit incensus maris alti abyssum:
Pandit & fontes, referatque terras,
Dum Dei vocem minitantis audit,
Qua patet, orbis.

Me meus vindex mediis procellis
Martis, & duro eripuit periclo,
Et manu forti nimium furentes
Perculit hostes.

Illius leges colui: tenellis
Hoc mihi curæ fuit inde ab annis
Illius sacrum imperium secuto
Iustasque sacra.

Quin meos gressus Deus ipse rexit,
Et meo dignum pretium labori
Reddidit fidus, mea que ipse cinxit
Tempora lauro.

Diligit justos etenim, & superbos
Odit infestus. Mihi lux es ingens,

Atque te spissâ fugiunt tenebræ.

Non ego diræ

Impetum gentis, duce te, timebo,

Non ego belli metuum periculum,

Atque firmabunt nova jam levatam

Robora mentem.

Tu Deus solus miserum levare

Castibus duris potes atque egenos.

Das mihi famam, Deus, invidendam, &

Nobile nomen.

Me doces bellum. pede tu manueque

Me facis fortem & validum videri.

Rumpitur nostris manibus repente

Ferreus arcus.

Protegis clemens, Pater, innocentem.

Fidus avertis, Pater alme, turmas,

Quæ meo insultant capiti, atque tutus

Ambulo per te.

Hostibus mistus mediis repello

Agmina, ingentes cumuloque acervos.

Hic fugit velox per aperta campi.

Hic cadit ens.

Hos Deum frustra precibus vocantes,

Calco prostratos pedibus cruentis.

Inde diffusos rapuere magno

Turbine venti.

O Pater, salve. venerande mundi

Arbiter, salve. mihi robur omne

Addis, insignes duce te triumphos

Semper adepto.

Tu doces pugnâs, cumulas honores

Tu mihi ingentes, populosque & urbes

Subdis in nostrum imperium, & remotis

Nescor in oris.

Quo tuas laudes, venerande, plectro

Concinam, aut dignos meritis honores?

Quæ tibi, viridex celebrande, tandem

Carmina dicam?

Sæpe me immersum mediis periculis,

Sæpe me immersum medio furori

Gentis invisa, mediisque flammis

Eripuisti.

Semper indutus viridante lauro,

Semper ornatus spoliis opimis

Victor insignes merui triumphos

Clarus in armis.

O parens rerum venerande salve.

Ille honor tantus, decus illud ingens

Est tuum munus. Columen fidemque

Tu mihi præstas.

Tollit ad celsum tua dextra cælum

Me, Pater. nostris ades ipse bellis,

Et meæ proli domique larga

Munera præbes.

Te canam semper, Deus alme. mente

Te canent semper memori nepotes.

Atque diffundet tua se per omnes

Gloria terras.

Quisquis inoffensæ traducit tempora vitæ,
 Et timet offensare Deum, supremæque jussâ
 Mente colit memori, noctesque diesque revolvit,
 Is felix jure est animi, fastigique alta
 Conscendat rerum, & cunctas dominata per oras
 Stirps ejus late imperium protendat avitum.
 Non hæc divitiis domus invidiosa carebit,
 Non titulis merito partis: nosecetur ubique
 Gloria venturos illustratura nepotes.
 Nempe pius Deus è densis rapit ipse tenebris,
 Adversasque fugat nubes, lucemque reducit
 Ille novam, clemens, justus laudator & æqui.
 Quam bene vir sapiens opera solatur egenos,
 Atque ad judicii sua temperat omnia normam!
 Impavidus stabit, solida nec mente labascet:
 Nec tempestates ullæ hunc turbare valebunt.
 Nulla tegent umquam justorum obliviosa nomen:
 Sed gliscet sine fine decor, lausque illa manebit.
 Non hos dejiciet rumoribus impia turba
 Constantes firmosque. Deus tutabitur illos.
 Nil metuent umquam, dum figant lumen in hostes,
 Nunc fractos subito, nunc in sua damna ruentes.
 Non opibus parcunt, dulce at lenimen egenis
 Præstant, & merito late celebrantur honore.
 Quin Pater æthereus proventu divite lætam
 Ipse domum fulcit, vario recreatque favore.
 Impius invidiæ stimulis agitated amaris
 Ista suis oculis tristis spectabit, & atris
 Dentibus infrendet, nequiequam dira minatus.
 Impius hæc spectabit, & omnibus ipse carebit.

Arces Niliacas Isacidum domus
 Quando desereret, regnaque barbara,
 Et, quod difficili tempore senserat,
 Se diro eriperet jugo,
 Experta in solitum est auxilium Dei,
 Qui Judam stabili fœdere munit,
 Et tutum valido numine reddidit,
 Et dux & comes in via.
 Hoc vidit subito diffugientibus
 Undis, attonitum cum stupuit mare.
 Jordanes refugis fluctibus in caput
 Converso rediit pede.
 Colles subsiliunt, & juga montium,
 Ut prato viridi luxuriat caper,
 Aut sicut celeri rura perambulat
 Saltu lanigerum pecus.
 Cur, undis subito diffugientibus,
 Consueto pelagus cessit ab alveo?
 Jordanes refugis fluctibus in caput
 Cur verso rediit pede?
 Ad saltus agiles quid juga montium,
 Ad saltus agiles quid juga collium,
 Gaudentem ut capream motibus, impulit,
 Aut agnos, tenerum pecus?
 Conspecto Isacidum Numine scilicet
 Tellus intremuit, & refluxis aquis
 Cesserunt celeri gurgite cærule, &
 Veloci fluvius gradu.
 Fluxerunt latices cautibus asperis.
 Fuderunt filices flumina vivida.
 Noscendam insolitis prodigiis Dei
 O quis non metuat manum!

P S A L M U S CXVII.

Laudate gentes, quotquot hic habet mundus,
 Laudate gentes omnium patrem rerum.
 Manu benigna nos fovet: carens sine
 Favor illius nos mulcet, atque amor constans
 Promissa largo fœnore indies solvit.
 Laudate gentes omnium Patrem rerum.

I D E M *aliter.*

Sidereum laudate Deum, laudate per omnem
 Dispersæ gentes orbem, laudate frequentes.
 Laudate, o populi, & divinæ laudis honores,
 Ut decet, ut fas est, sublimia tollite ad astra,
 Perstat enim illius elementia, perstat in ævum,
 Nec vanas ejus promissâ feruntur in auras.

P S A L M U S CXXIII.

AD te levavi, gentis humanæ Pater,
 Ad te levavi lumina,
 Qui templa coeli, labe mortali procul,
 Et regiam æternam colis.
 Observat ut manus heriles servulus,
 Heræque nutus servula:
 Sic lumina in te figimus, Deus bone,
 Dum præbeas opem tuis.
 Succurre nostris, o Pater, laboribus,
 Succurre tandem servulis
 Fidelibus, quos hostis insultans premit,
 Sese efferens fastu gravi.
 Hosti maligno fabula & ludus suavis,
 Opprobriumque pertinax:
 Qui, dum impotenti ducitur libidinae,
 Nos calcat audaci pede.

P S A L M U S CXXIV.

Nisi adfuisset Numinis presentia,
 Nisi adfuisset (dicat Isâci domus)
 Superba cum nos multitudo perditum
 Late veniret, freta stultis viribus,
 Nos forte vivos devorasset, debiles
 Et pauculos. sitiebat ira sanguinem,
 Et obruisset nos procella cladium.
 Torrentis instar, imbre qui multo tumet,
 Nos sustulisset impetus subito rapax:
 Sorsiffet atra gurges infidus nece.
 Celebrate laude debita Deum, suos
 Qui liberavit dente diro gentium,
 Et expeditiv innocentés castibus,
 Ut capta jam volucris aucupem fugit.
 Nostræ salutis spes reposita est in Deo,
 Qui cuncta magnâ fecit ac servat manu.

P S A L M U S CXXXIII.

Quam grata fratrum mutua gratia!
 Quam pulcra pax est firma fœdaliū
 Amore junctorum fideli,
 Invidia temerata nulla!
 Quales olivum fertile balsami
 Exhalat auras, dives odoribus,
 Myrrhæque stillantis liquores,
 Qui scatebra fluitant fragrante;
 Quæ suffientis Pontificis caput
 Adspersit, & se colla per oraque
 Barbamque diffundit senilem,
 Perque sinum meat Aaronis,

P S A L M U S CXLV.

Togaque limbum currit in extima.
 Aut qualis humor montibus arduis
 Hermionis aut sacri Sionis
 Arva beat bene olente rore.
 Sic sancta pax est, grata Deo simul,
 Et grata toti coelicolum choro.
 Sic vita decurrit beata,
 Perpetua serie nepotum.

P S A L M U S CXLV.

Ter magnum dicam Regem, Dominumque potentem
 Splendida dum volvet lucius astra polus.
 Illum, cum roseo surgit sol aureus ore,
 Illum, cum fulget candida luna, canam.
 O æterne Parens, moderator & arbiter orbis,
 Narrabunt titulos sæcula cuncta tuos.
 Longævi, Pater alme, senes tua facta loquentur,
 Extendet laudes postera turba tuas.
 Semper honoratus, nulloque tacendus ab ævo
 Immortale geres, & sine fine, decus.
 Te tua iustitia & bonitas celebrabit ubique,
 Quodque doles, quoties cogeris esse ferox.
 Magne Parens rerum, stellati Rector olympi,
 Te laudat celi machina lata poli.
 Te celebrant omnes, qua sol surgitque caditque,
 Et noscunt regni robur & arma tui.
 Sic tua per cunctas decurrit gloria gentes,
 Nescia ne sceptri terra sit ulla tui.
 Majestas sine fine tibi est, nec tempora quicquam
 Istud in imperium, Rex metuende, valent.
 Quod redeunt iterum lapsorum in corpora vires,
 Quod fiunt validi, muneris omne tui est.

C A N T I C U M M O S I S.

Te genus altituum, teque agmina densa ferarum,
 Te pisces, & te respicit omne pecus.
 Nam victum præbes illis, & pascis abunde
 Omne animal numquam deficiente manu.
 Quod facis est justum: virtus tua durat in ævum,
 Et dextram præbes mitis opemque tuis.
 Auxilioque piis præfens es, & adspicis illos,
 Si te constanti semper amore colunt.
 Te tremit impietas radicitus evellenda.
 Inde tuum nomen natio nulla tacet.

C A N T I C U M M O S I S.

Eia agite, & superum Regis celebremus honorem,
 Qui laudem egregiam retulit magnosque triumphos,
 Hostiles equites & equos dum mergit in undis.
 Ille mihi est validum robur, dextraque potenti
 Præbuit ille mihi pacem gratamque salutem.
 Ille Deus meus, atque mei Deus ille parentis,
 A me victuro celebrandus carmine semper.
 Ingens bellator Deus est, insignis in armis.
 Illius omnipotens nomen: Pharaonis iniqui
 In mare detrusit currus, sævasque phalanges.
 It saxum petit ima, simul descendit in undas,
 Sic comites primique ducum merguntur in undis.
 Magne poli Rector, magnastua dextera vires,
 Magnam robur habet; stravit violenta cohortes
 Idversas, atque infensos mihi perdidit hostes.
 Dum furor in cursu est, dum iustas concipis iras,
 Los premis, ut stipulam decurrens flamma per agros.
 Indaque surrexit, seseque coëgit in unum.
 Inda sterit, videt hoc inimicus. protinus inquit:
 Ersequar & capiam fugitivos: mens mea dulci

Lætitiâ exiliæ, prædaque fruetur opima,
 Et gladium stringam, atque illos mea dextra necabit,
 Spiritus, ecce, tuus flavit: mox defluit unda,
 Unda velut plumbum demersos opprimit hostes.
 Quis tibi, magne Deus, bello par esse valebit?
 Quis prohibeat tibi, sanctissime? sive tueris
 Infantes, terrefve malos, mirandus ubique?
 Extendis digitos alias, & terra dehiscens
 Injustos vorat. at per te quæ turba redempta est,
 Sensit opem, venerande, tuam; longumque favorem,
 Intravitque tuas sedes, habitacula sancta.
 Ecce Philistæos duos dolor occupat ingens:
 Ecce tremunt Edomitæ: formidine magna
 Ecce Moabitæ trepidant, trepidantque vicissim,
 Qui Canaan habitant, magnoque pavore feruntur.
 Occupet, alme Deus, pavor illos, occupet horror,
 Concresecant gelido, silicium de more, rigore,
 Dum tua gens per tot casus, per tanta pericla,
 Hostibus erepta, in tuta statione locetur.
 O utinam liceat nobis in monte sedere,
 Sancte, tuo! o utinam sacrata sede morari,
 Quam tua firmavit valide manus! omne per ævum
 Cunctarum moderamen habes, Pater optime, rerum.
 Ingreditur fluctus Pharaon cum milite multo,
 Sed Deus insanum tumidis oppressit in undis,
 Dum sicco Hebræus populus pede transit æquor.

EXpertus vires Domini dextramque potentem,
 Graves & iras, illius clementiam
 Gentibus exponam cunctis, lateque fatebor.
 Nam me favore recreat Deus novo.
 Ecce Deus, meus est servator, qui mihi tristem
 Adimet timorem, qui mihi fiduciam
 Et vires addet validas, animumque reducet,
 Meæque laudis atque fortitudinis
 Auctor erit certus, mihi firmabitque salutem,
 Quæ fluctuavit hæcenus dubio pede.
 Servabit certe cunctos: de fontibus ejus
 Aquas bibetis delibuti gaudio.
 Dicetis, quando illa dies illuxerit orbi,
 Cantate laudem & gloriam æterni Dei.
 Illius cunctas celebrate inventa per oras,
 Ut nomen ejus nationibus patens
 Laudetur, mare qua totum circumfluit orbem,
 Qua nascitur, quaque occidit solis jubar.
 Excelsum est ejus nomen. celebrate frequentes
 Manum potentem, & gloriam ejus inclitam.
 Audiat hoc mundus rursus, & juga sacra Sionis,
 Favet Sioni sanctus Israël suo.

Cedite Niliacæ præfici telluris honores,
 Quosque suis opibus Roma superba tulit.
 Vos domus hæc superat, quantumvis horrida culmo
 Quantumvis ventis frigoribusque patens.
 Vos domus hæc superat, quæ sacri conscia partus
 Promittit ab ætherea munera missa domo.
 Ecce dator Deus est, proprium dat munera natum,
 Qui pacem & terris otia læta dabit.
 Pastores veniunt, tenerum ut venerentur alumnus.
 Intrat & exilem rustica turba casam.
 Attoniti spectant matrem, pulchrumque nitorem,
 Qui sacro pueri multus ab ore venit.
 Mox funduntur humi, cuncti mox poplite flexo
 Obsequii præbent signa notasque sui.
 Salve sancte puer, fessi spes unica mundi,
 Unus amor patris deliciæque tui;
 Nate Deo, Deus ipse, hominum, Deus alme, redemptor,
 Qui sumto humano corpore factus homo es.
 Auree cresce puer, feli melioris origo!
 O cresce, & tecum commoda magna vehe,
 Quæ genus humanum reparent, lapsamque salutem,
 Incipiantque novam pandere ad astra viam.
 Te chorus aligerum celso delapsus olympo
 Cingit, & ad cunas adsidet ipse tuas.
 Carminaque ingeminat natale notantia tempus,
 Quæ somnos possint conciliare leves.
 At tu, Diva parens, cœli certissima cura,
 E cujus gremio tot bona nata fluunt,
 Gaude sorte tua: dumque hæres lumine fixo
 In nati vultu purpureisque genis;
 Dumque suam læto risu cognoscere matrem
 Incipit, atque tuis pendet ab uberibus,

Admitte immensi de te præconia mundi
 Narrantis titulos, quo decet ore, tuos.
 Te sol occiduus, Virgo, te laudat Eous,
 Et tollit nomen sidera ad alta tuum,

VANITAS MUNDI.

Illecebræ mundi, & specie mellita serena
 Gaudia, quis optat vulgus inane frui,
 Illecebræ mundi, longum longumque valet.
 Nil mihi vobiscum est, infidiosa cohors.
 Eheu quam fallax vestra est, quam lubrica imago,
 Et qui mendaci fulget in ore nitor!
 Immensam dum vos argenti pondus & auri
 Promittis, atque opibus regna superba novis,
 Dum trabeam & fasces; artes fraudesque paratis,
 Pectoraque occultis luditis infidiis.
 Ah quibus est lærimis, quo tristi carmine flendus,
 Quem vester vultus vanaque forma capit!
 Non illum fellis cruciavit gustus amari,
 Et data fallaci pocula fœda manu.
 Non ille agnovit lethali tincta veneno
 Spicula, quæ menti vulnera cœca ferunt.
 Sed felix nimium, cui fas est nube remota
 Æthereæ lucis munere posse frui:
 Qui nocens artes, quis pectora fascinat orbis,
 Evitat cautus retia nexa sibi.
 Ille ad fidereum suspirans fessus Olympum
 In solo ponit spemque fidemque Deo:
 Et rerum satur humanarum gaudia vera
 Cogitat & finem non habitura suum.
 Ah trahe me, Deus alme, vagis erroribus actum,
 Ad sedes superas quo via ducit iter.

Ægrotantis ad Deum suspiria.

M Agne opifex rerum, qui complex numine cuncta,
 Et regis arbitrio nostraque nosque tuo,
 Ecce tero adfixus jaceo, morbisque fatigor
 Infelix, miseris excruciorque modis.

Nec spes ulla mihi superest: nil proficit herba,
 Nil profunt medica pocula mista manu.

Ne recrees me lethifero languore solutum,
 Jam properat vitæ terminus, ecce, mea.

Nec tantum capior lucis vitalis amore,

Quam dolor affiduus, quam mala semper habent,
 Quantum admissa movent me crimina. Torqueor illis,

Mensque mihi multo fracta dolore cadit.
 O quoties, lacrimas verba inter singula fundens,
 Auxilium imploro, sæpe vocate, tuum!

O quoties, lapsæ dum vitæ anteaucta recordor,
 Purpureus nobis inficit ora pudor!

Quis mihi portus erit, mediis dum jactor in undis
 Naufragus, infestis mox rapiendus aquis,

Si me non recipis, si non tua brachia tendis,
 Nec me clementi respicis ore reum?

Mitis ades, solitoque mei miserere favore,

Et quod mole sua me premit aufer onus.

Tunc celsum celeri subvectus ad athera penna,

O Deus, æternis te resonabo modis.

E L E G I Æ.

DAVIDIS HOOGSTRATANI
E L E G I A R U M
L I B E R I.

E L E G I A I.

A D

CORNELIUM JUNIUM.

De infelici amoris sui exitu.



Uid mihi nunc superest, rerum dulcissime Juni,
Dum mea perpetuus viscera mœror edit:
Dum me tristitiæ cruciat crudelis imago,
Et dolco extremum non mihi adesse diem?

Est nosster concussus amor. venire dolores,
Qui raptant animum conficiuntque meum.
Eripuere mihi non mitia fata Nearam,
Qua mihi non umquam carior ulla fuit.
O duram fortem! nil non mutabile tandem est.
Omnia fatorum legibus acta ruunt.
Ergo ego formosæ & ridenti dulce puellæ
Bafia nulla dabo, bafia nulla feram.
Ergo isthac facies cunctis adamabilis, uni
Immitis posthac tota futura mihi est.

Ibinus in lacrimas foli inæftasque querelas.
 Cogemur foli verba dolenda loqui.
 Hæc mala deplorat Cytherea tenerque Cupido,
 Qui jungit fletus fletibus ipse meis.
 Deceptus parvus Deus eft, & Mater amoris.
 Et video falli Numina poffe dolis.
 Ah quoties dixere mihi: jam gaudia carpes,
 Gaudia non ulla diminuenda die!
 Ah quoties promiffa mihi blando ore dederunt,
 Ibit in amplexus palera Neæra tuos!
 Scilicet hanc vati mercedem lata parabant,
 Præmia carminibus iufta data mea.
 Certe ego tantorum celebrâram jura deorum,
 Et quid in humano pectore poffit amor.
 Excidi amore meo tunc cum non ulla timerem
 Quæffatura meum fæva pericla caput.
 Jamque erat ut cunctas deberem ponere curas,
 Inque finu dominæ nil timuiffè meæ.
 Jamque erat ut lætos deberem ducere foles,
 Jamque erat ut flueret candida vita mihi.
 Eft aliter vifam fatis: illa illa Neæram
 Eripuere mihi fata fævera meam.
 Non mihi feribendi veniet jam blanda voluptas,
 Neftendi numeris non mihi verba fuis.
 Aut mihi fi veniat, non umquam lata canemus,
 Et chartis aberunt gaudia cuncta meis.
 Inque elegos pronus confcribam flebile carmen,
 Quale die fuma concinit albus olor.
 Et longe à populo fecretus, folus ubique,
 Materiam in luctus ingeniofus cro.
 Qualis apud gelidos infelix Nafô trioncs
 Ploravit fati ferrea fila fui.

Hoc tamen in cantu caram refonabo Neæram.
 Scribentis ducet cara Neæra manum.
 Nec minus infaufli durabunt femper amores,
 Perfidia fregit quos male fana fua.
 Nec minus hæc vivet, etiam poff fata fuperftes,
 Nec minus huic noftro carmine nomen erit.
 Vivet, fi quid habent umquam mea carmina veri.
 Vivet, & ingenio furget ad aftra meo.

ELEGIA II.

Neæra Connubium.

ATra dies properat, qua tot mihi culta per annos
 Alterius scandet pulchra Neæra torum.
 Atra dies, non auspiciis exorta benignis,
 Atra dies, Mufis ufque dolenda meis!
 Ah quid agis tandem Virgo, quid perfida tentas!
 Nulla Venus ceoptis, Gratia nulla favet.
 Teftatusque meos moerens Hymenæus amores
 Extinguit thalami lumina cuncta tui.
 Exululant Charites, & fciffis ungue capillis
 Percutiunt mœfta pectora nuda manu.
 Ecce ferus cœlo demittit Jupiter imbres,
 Addit & irata fulmina torta manu.
 At memini, cum jurares per fidera nobis,
 Perque hunc, qui certo lumine cuncta videt,
 Jurabas te constantem fidamque futuram,
 Et jurata iterum, bafia mille dabas.
 Hæc tua verba igitur foliis leviora caducis
 Excruciant animum, vana Neæra, meum.
 Nuper in amplexus noftros, vefana, ruebas,
 Circumdans collo brachia lenta meo.

Jungebasque meis tua labra corallina labris,
 Admiscens oris murmura blanda tui.
 Nunc cuncta æthereas fugerunt sparsa per auras,
 Blandaque lingua olim, facta severa mihi est.
 Sed nisi me fallunt justis præfagia cœli,
 Perfidiaæ poenas mox dabis ipsa tuæ:
 Cum, miseranda, brevi violata hac sacra dolebis,
 Et venient animo tristitia cuncta tuo.

ELEGIA III.

A D

JOACHIMUM TARGERIU

De amore ejus.

Quid geris indomitos, Targerî, in corde furores?
 Quæ tibi vesano viscera flamma vorat?
 Hei mihi! quid furis in Phædra, quæ lubrica vultu
 Occupat ingenium, dulcis amice, tuum?
 Quid pulcros mirare oculos, & eburnea colla,
 Quæque omnes superant pulcra labella rosas?
 Luderis ah miser, & fallax te ducit imago.
 Istis deliciis mista venena latent.
 Libertas abiit (quam pulcrum nomen!) in auras,
 Et te captivum Phædra dolosa tenet.
 Dum datur, evita damnosa Cupidinis arma,
 E quibus, infelix, nulla petenda salus.
 Crede mihi, te multa manent discrimina rerum,
 Te dolor & luctus curaque sæva manet.

Dum sequeris nympham, dum carpis gaudia vana,
 Spem, te decipiens, mox feret aura tuam.
 Fœmina, res fallax, perjuriam propria ridet;
 Ridet, & hoc unum subdola discit opus.
 Ipse puer Veneris gestit deludere mentes,
 Et superat ventos mobilitate leves.
 Sed quid ego frustra leges tibi dicto severas,
 Cui dudum pectus sæva puella regit?
 Ah quid ego, cui suave malum crudelia fecit
 Vulnera, Pœonia non relevanda manu?
 Ah quid ego infelix, cui semper Phyllis in ore est,
 Illa licet curas augeat usque meas?
 At sic fata volunt immitia. fata poetas
 Exagitant. fatis cedere debet amor.
 Nec minus hos ignes inter, solatia capto,
 Quæ mihi dat Phœbus Pieridumque chorus.
 Nimirum roseæ cantantem Phyllidis ora
 Facundum reddit ingeniosus amor.
 Virgineæ adspirat Latoñius ipse cohorti.
 Adspirat casti turba novena chori.
 Qui plenas tanta illecebras dulcedine damnat,
 Is puto de ferri semine pectus habet.
 Ne fuge jam notos, Targerî care, calores,
 Nec tibi quæ dulcis vulnera fecit amor.
 Dilectamque adama, me jam monitore, puellam.
 Illa habeat pectus, semper amica, tuum.
 Jam lætos mirare oculos, & eburnea colla,
 Quæque novas superant pulcra labella rosas.
 Te jucunda tenet, teneat modo semper imago.
 Istis deliciis nulla venena latent.
 Libertas abeat. quid enim nisi nomen inane est?
 Et foveat caro te tua Phædra sinu.

C

Phæ-

Ut placidos Zephyri licet hic audire susurros!
 Ut præ lætitiæ dulce queruntur aves!
 Ecce tibi rident halantes floribus horti,
 Et largas fundunt undique veris opes.
 At tibi, qui viduas amiffa conjuge noctes
 Tranfigis, ex illis jam novus adfit amor,
 Qui tibi delicias, tibi qui nova gaudia portet,
 Nec finat in vacuo secubiffè toro.
 Sic te refituet tandem Venus ipfa poetam,
 In sacros vates officiofa Venus.
 Nonne tibi subeunt tranfacti molliter anni,
 Quis nos facundos reddidit almus Amor?
 Nos Amor adfcripsit jucundis vatibus olim,
 Atque aliquod nobis nomen habere dedit.
 Eia age, refituas tibi te, dulciffime rerum,
 Neglige nec venæ luxuriantis opes.
 Te tibi redde, precor per Numina mitia Mufas.
 Si tibi te non vis reddere, redde mihi.
 Hoc mecum cupiant cari, tua turba, fodales,
 Quos tibi conjunxit non temerata fides.
 Hoc quoque Fama, tuum quæ decantabit honorem,
 Exigit: hoc pofcit publicus ipfe favor.
 Nec tibi præcidant odiofa negotia tempus.
 Nos etiam furtim fcripta tabella juvat.
 Sic olim illuftres raptim fcripfere poetæ,
 Experti faciles ad fua vota Deas.
 Sic mediis Nafo carmen deduxit in undis,
 Ipfa hyeme rigidas incutiente minas.
 Quid memorem antiquos? in rerum Kafius undis
 Affiduis cecinit carmina multa modis:
 Hugeniufque pater, terræ decus ille Batavæ,
 Et nullo vatum Grotius ille minor:
 Et cujus cunis Haga inclita jure fuperbit,

Quo nimium felix Julia vate tumet.
 Non femel ille fuo laffus fractusque labore
 Flexit in optatos carmina læta modos.
 Quid lentus dubitas imitari exempla priorum?
 Quid lentus dubitas nomina tanta fequi?
 Incumbas potius famæ, quæ carmine crefcet,
 Carmine, quod certam pandit ad astra viam.

E L E G I A VI.

D E P H Y L L I D E.

Phyllida formofam fecit Natura benigna,
 Addidit egregium nec minus illa decus.
 Addidit ipfa Venus fua dona, & Gratia triplex
 Ornavit miris perpoliitque modis.
 At puer Idalius, Veneris pulcerrima proles,
 Dulcibus ex oculis mittere tela dedit.
 O Phylli, o Veneris per te regnantis imago!
 O laus virginei deliciæque chori!
 Candida te decorat facies, rubicundaque labra,
 Et quæ de labris mollia verba fluunt.
 Te decorant oculi splendentes lumine puro.
 Te coma, te cervix deliciofa decet.
 Quid fupereft? ornat nil non laudabile totam.
 Hei mihi, quam forma pœne fuperba tua es!
 At tu, Mome, vale. formofam lædere parce.
 Effugit hæc morfus, invidie Mome, tuos.
 Mome vale, & quæ facra paro peragenda Dionæ
 Ne turbes atris dedecoresque notis.
 Illa mihi exhilarat longa dulcedine vitam,
 Quam firmat femper continuandus amor.

DE EADEM.

IN campis nuper solus spatiatu apricis
 Confedi ad ripam lene fluentis aquæ,
 Multa gemens, & crudeli laceratus amore,
 Et culpans favos in mea fata Deos;
 Cum se vicina Phyllis referabat ab urbe,
 Adstitit & lateri non bene visâ meo;
 Meque suis mox attonitum complexa lacertis
 Oscula mista levi murmure blanda dedit.
 Et quid, ait tandem, secessu quæris in isto?
 Ah quid te curis conficis ipse tuis?
 En adsum, dilecte, tuos miserata dolores,
 Et tua facta meâ vulnera sano manu.
 Responsura tuo venio bene fida calori:
 Unde tuos gemitus hinc procul aura ferat,
 Protinus, ut tandem sensus rediere stupenti,
 Atque animo nubes ista remota fuit,
 Protinus exclamo, Teneo te, candida Phylli,
 Meque tuis stringis, candida, brachiolis?
 Tene ego, clamantem voce e t imitata jocosa,
 Clamavitque simul garrula Nympha, Tene.
 Risit ad hanc vocem Phyllis, geminataque verba
 Et dulces repetit non minus ipsa sonos.
 Augebant volucres hæc gaudia dulce querentes,
 Et moto arrisit germine lætus æger.
 Augebat tremulis hæc lymphis gaudia rivus.
 Movit & ipsa suas mollis arundo comas.
 Ex illo cepere dies felicius ire:
 Ex illo fluxit vita beata mihi.

A D

NICOLAUM MARKIUM,

Ut relicto amore ad studia se conferat.

MArki, quem teneris Pallas dilexit ab annis,
 Marki, Castalius cui rigat ora latex,
 Quid tibi cum teneris, turba fallace, puellis?
 Quid te sollicitat desidiofa Venus?
 Quid quæris, sacri deserto culmine Pindi,
 Et Phœbo & Musis displicuisse tuis?
 Tene juvat vano, infelix, liquefcere amore,
 Sertaque odoratis myrtea ferre comis;
 Et tibi laudato neſtentem brachia collo
 Imperium dominæ duraque jussa ſequi?
 Ah fuge tantarum, Marki, discrimina rerum,
 Ah fuge non cauto retia nexa tibi.
 Dulce tibi ridet Phyllis, tibi pulcra Nexera,
 Et deſideriis Galla petita novis.
 Scilicet illarum infidias tolerare valebis,
 In triplices fraudes & ſitis unus eris.
 O quoties fractæ fidei promiſſa dolebis!
 O quoties verſos in tua damna deos!
 Non aliter currens turbata per æquora vector
 Jam cuperet fragilem non tetigiſſe ratem.
 Felices, quos votiva ſignata tabella
 Veſtis, cæruleo dona dicata Deo,
 Significat tumidi maris evaſiſſe procellas,
 Et lætos patriæ poſſe videre focos.

Dum datur, inde redi, & sacra te redde Minervæ.
 Ecce tibi tendit Diva benigna manus.
 Ecce tibi spondet pretium non vile laboris,
 Si modo sis confans, notaque sacra colas.
 Illa tuam famam serum transmittet in ævum,
 Et virtute animi conspiciere tui.

ELEGIA IX.

AD PHYLLIDA.

De adventu Hyemis.

ASpera venit hyems, infans horrida nimbis.
 Obruta perpetua sub nive terra jacet.
 Gratia jam silvis omnis, decus omne recessit,
 Ornataque carent pascua nuda suo.
 Non ultra mollesce rose, vel lilia florent
 Ulla, nisi in vultu, candida Phylli, tuo.
 Hæc bene cum videas (quid enim manifesta negabis?)
 Et constet stabilem nulla tenere locum,
 Quid, rogo, vernanti facie cultuque superbis?
 Niteris infirmo quid, mea vita, pede?
 Iste decens vultus rugis fœdabitur olim,
 Cum veniet tacito tarda senecta gradu.
 Quis tunc, Phylli, tuæ miratus munera formæ
 Te colat, & multo flagret amore tui?
 Ah male transactæ lugebis tempora vitæ,
 Et frustra lapsos esse querere dies.
 Cur igitur cessas, sperataque gaudia differs,
 Meque facis flammis, sæva, perire meis?
 Spem longam rescæ, velox dum diffugit ætas,
 Dum properant hyemis tempora dura tuæ.
 Incipe jucundos mecum sentire calores,
 Phylli: tibi damnum quælibet hora fœret.

AD EANDEM.

Nunc ego Apelleæ cuperem spectabilis arte,
 Aut de qua Zeuxis nobile nomen habet,
 Naturæ simulare vias, vivoque colore
 Pingere, quot species terra benigna parit.
 Nunc mihi Praxitelis cuperem contingere cælum,
 Ingeniumve Scopæ, Phidiamve manum.
 Quam late, mea lux, tua conspiceretur imago,
 Et vultus species invidiosa tui!
 Nam modo de picto diffundens ore nitorem
 Stares virgineo suspicienda choro.
 Et modo spirares Pario de marmore facta,
 Effigiemve darent ara corusca tuam.
 Sic fieres vivax, Phylli, & tibi nobile nomen
 Artifices possent conciliare manus.
 Nunc mihi quid superest, tenui nisi dicere versu
 Quod tibi cœlesti fulget in ore decus?
 Laudari certe est nostris res parva camœnis,
 Cum te majori par sit ab ore cani.
 Sed tamen haud falsum referunt mea carmina amorem,
 Et desiderium non leve, Phylli, tui.
 Hoc, precor, agnosce, & nimii miserere caloris,
 Qui torret rapida pectora nostra face;
 Ut dulci tandem vinclo stringamur amantes,
 Et nos irrupto fœdere jungat Hymen.
 Tunc te castus amor, casu non læsus ab ullo,
 Tunc poterit confans nobilitare fides.
 Tunc prisca inter numeraberis Heroïnas,
 Quæ non delendum tempore nomen habent.
 Sic non Penelope, magni non Hectoris uxor,
 Non vincet famam Laodamia tuam.

Sic clara ante alias majore frueris honore,
 Quam vel picturæ vel tibi cæla darent.
 Ipse ego majore accendar præcordia Phœbo,
 Ut possim in laudes fortius ire tuas.

ELEGIA XI.
 AD COROLLAM.

Formosi flores, picturataque corollæ,
 Phyllidis electæ compositaque manu,
 Pallentes violæ, cum purpureis Narcissis,
 Junctaque puniceis lilia cana rosis;
 Quam brevis heu vester decor est! quam gratia formæ
 Lubrica! quam parvo tempore tota perit!
 Nascimini flores hac luce, hac luce peritis,
 Et fallax oculos ludit imago meos.
 Et nimium falsa est vestra & fugitiva voluptas,
 Et nimium rapido præterit illa pede.
 Ah quanto est melior species tua, candida Phylli,
 Nascentesque tuo semper in ore rosæ!
 Quanto me melius capiunt per colla, per omnem
 Cervicem larga lilia fusa manu!
 Illic me constans, illic non vana moratur
 Gratia, nec fictis detinet illecebris.
 O quæ vernantis semper dulcedine vultus
 Exsuperas violas, exsuperasque rosas,
 Et quæ præterea locupletis pignora Floras
 Legerunt Nymphæ detuleruntque tibi,
 Respice me sevis in amoribus elanguentem,
 Adit ut hinc nostris certa medela malis.

DAVIDIS HOOGSTRATANI
 ELEGIARUM
 LIBER II.

ELEGIA I.

A D

PETRUM FRANCIUM,

*Cum MARIÆ Britanniarum Regina
 parentaret.*



Um tibi Castalides moestissima carmina dictant
 Solventi claro debita justa rogo,
 Et tua sese effert Latia facundia lingua,
 Franci, Palladii gloria prima chori:
 Dum tanto percussa malo lugubria sumit
 Anglia, Reginae funere mcesta suæ;
 Nos quoque luctus habet. Juvat indulgere dolori,
 Et fletu lacrimas continuare tuas.
 Belgica tota præit, conjunctique undique vates
 Flebilibus celebrant publica damna modis.
 Jungite communes Angli Batavique querelas,
 Et loca tam justo nulla dolore vacent.
 Occidit ante diem, miserando funere mersa,
 Spes & amor populi magna Maria sui.

Occidit ante diem , qua dante Batavia tota
 Felices vidit gratius ire dies,
 Cum populo affulit verna dulcedine vultus,
 Illustrans radiis quælibet ora suis,
 Lætæque Majestæ , & nullo turgida fastu,
 Et simplex virtus tristitiaque carens,
 Et rectum ingenium , & nivei sine crimine mores,
 Et non fucatæ religionis amor.
 Tam raras dotes , & tanta principe dignas,
 In gremio fovit Belgica fida suo,
 Donec , agente Deo , nostræ de litore terræ
 Solvit , majori constituenda loco.
 Ah quis non flevit , cum Te discedere vidit!
 Quanta dedit luctus signa profusus amor!
 Tu quoque flevistî , Princeps , cum cuncta sonarent
 Questibus , & sicco lumine nemo foret.
 Vidisti desiderium , visumque probasti,
 Publicaque affectus tot monumenta pii.
 Hæc Te tangebant , hæc alto infixæ manebant
 Pectore , cum faceres per freta vasta viam,
 Adque solum natale citis veherere carinis,
 Per lacrimas populi sæpe vocata Tui.⁶
 Quo jam prægressus Conjux , post tanta tropæa,
 Postque tot afflicto monstra fugata solo,
 Divisit Tecum imperium & regalia scepra,
 Ornavit vestras quis Deus ipse manus.
 Te veniente , Tuis quanta est lux orta Britannis!
 Nempe salutaris fideris instar eras.
 Te veniente , simul venerunt agmine longo
 Virtutes , tutum quæ reperere locum:
 Justitia ante omnes , majori ornata decore ,
 Et duris rebus cognita sancta Fides :

Et pia quæ gratum solamen præstat egenis,
 Et vanas miseris non finit esse preces:
 Et quæ prudenti mentem ratione gubernat,
 Quæque nitet castæ laude pudicitia.
 Aurea Libertas , dudum calcata , reducta est,
 Siccavit lacrimas Religioque suas.
 Hæc Tibi deliciae , tota quas mente fovebas.
 Hisce tibi titulis nobilis aula fuit.
 Nunc , Regina , jaces , aeterno victa sopore,
 Et Tua ferrata lumina nocte rigent.
 Jungite communes Angli Batavique querelas,
 Et dolor in lacrimas iste perennis eat.
 Publica tristitia est , sonuerunt questibus urbes.
 Ingeminant questus persona rura suos.
 Crescit & in majus luctus , sparsusque per orbem
 Horrorem populis principibusque movet.
 Quot bona , quot fato perierunt commoda tali!
 Quanta rapit secum gaudia nigra dies!
 O decus ! o communis amor , columenque Tuorum !
 Quam festinato funere rapta jaces !
 O pulcrum Mortis demessum pollice florem,
 Vix bene spectatum quem properata tulit !
 Omnia cum plorent , vincis tamen omnia , Regum
 Maxime , nec patitur justa querela modum.
 En prostrata tibi Tua gaudia , & una voluptas,
 En posita ante oculos tristis imago Tuos !
 Quid Tibi nunc profunt tot parti ex hoste triumphis ?
 Quid profunt capiti laurea ferta Tuo ?
 Quid terræ curam nostræ gessisse Tuæque ?
 Quid quæ magnificum fama celebrat opus ?
 Cum rapuit mors dira Tuæ solamina vitæ ,
 Et conjux demto sine carenda Tibi est ?

Ah quis crudeli reperit fomenta dolori?
 Unde venit tantis ulla medela malis?
 Te tamen acceptum vulnus moderatius urat,
 Et Tua Te virtus reddat, ut ante, Tibi.
 Et nullis quassata malis sapientia vires
 Restituat solitas, & Tibi præstet opem;
 Ut patriæ pergas rebus succurrere lapis,
 Quæ Tecum plorat, quæ Tua damna dolet.
 Te Tua deseruit, sed jam potiore recepta
 Sede tenet celsi regia testa poli:
 Quæ nunc in terris animo præceperat, & quo
 Enthea mens illi fecerat ante viam.
 Sic vixit, sic promta fuit, cum corpore vires
 Tentaret tristis detereretque lues.
 Quid me suspiras, Conjux charissime, dixit,
 Cedentem fati me meliora vocant.
 Jam mihi panduntur stellati limina cœli,
 Et toties votis regna petita meis.
 Tu mihi, dum licuit, solamen dulce fuisti,
 Tu mihi, Tu magno proxima cura Deo.
 Et nunc forte brevi disjungimur intervallo.
 En præeo, quod Tu deinde sequeris iter.
 Interea cordi tibi sint communia sacra,
 Atque humeris Regni credita cura Tuis.
 Dixerat: Aligeri subito rapuere loquentem,
 Et pariter vitæ gaudia multa tuæ.
 Cede Deo, Regum ter maxime, cede trahenti.
 Avelli quamvis sit grave, cede Deo.
 Ille idem luctus, lacerat qui corda Tuorum,
 Ille dolor sævus, qui tria regna quatit,
 Et lacrimæ sine fine datæ, gemitusque perennes,
 Quos pius in magno funere fudit amor,

Sunt populi monumenta Tui, quæ marmora cuncta,
 Quæ vincant pretio busta superba suo.
 Adde quod Illius spatiosum fœna per orbem
 Ibit, fatali non cohibenda rogo.
 Huc & clarorum faciunt solatia vatum,
 Qui duros casus, & Tua damna canunt.
 Hos inter, Clariæ Franci lux magna cohortis,
 Condecora lacrimis Regia busta tuis.
 Triste tuæ poscit funus præconia linguæ,
 Materia eloquio conveniente Tuo.
 Pendet ab ore Tuo magnus cum plebe Senatus,
 Et cunctæ lacrimis immaduerè genæ.
 Immensum tua se fundent lamenta per orbem,
 Et vox est gemitus magna futura tui.
 Solis ab occasu solis noscetur ad ortum,
 Et se per terras æquoraque alta dabit.
 Audiet, & mœstas voces imitabitur Echo,
 Et reddent querulos concava saxa sonos.
 Nunc Tamefis, nunc Ya ululatus aëra rumpunt,
 Et lacrimis fluctus auget uterque suos.
 Eia age, & applausum doctæ mereare coronæ.
 Me vetat infandus dicere plura dolor.

Ah quis crudeli reperit fomenta dolori?
 Unde venit tantis ulla medela malis?
 Te tamen acceptum vulnus moderatius urat,
 Et Tua Te virtus reddat, ut ante, Tibi.
 Et nullis quassata malis sapientia vires
 Restituat solitas, & Tibi præstet opem;
 Ut patriæ pergas rebus succurrere lapis,
 Quæ Tecum plorat, quæ Tua damna dolet.
 Te Tua deseruit, sed jam potiore recepta
 Sede tenet celsi regia tecta poli:
 Quæ nunc in terris animo præceperat, & quo
 Enthea mens illi fecerat ante viam.
 Sic vixit, sic promta fuit, cum corpore vires
 Tentaret tristis detereretque lues.
 Quid me suspiras, Conjux charissime, dixit,
 Cedentem fatis me meliora vocant.
 Jam mihi panduntur stellati limina cœli,
 Et toties votis regna petita meis.
 Tu mihi, dum licuit, solamen dulce fuisti,
 Tu mihi, Tu magno proxima cura Deo.
 Et nunc forte brevi disjungimur intervallo.
 En præco, quod Tu deinde sequeris iter.
 Interea cordi tibi sint communia sacra,
 Atque humeris Regni credita cura Tuis.
 Dixerat: Aligeri subito rapere loquentem,
 Et pariter vitæ gaudia multa tuæ.
 Cede Deo, Regum ter maxime, cede trahenti.
 Avelli quamvis sit grave, cede Deo.
 Ille idem luctus, lacerat qui corda Tuorum,
 Ille dolor sævus, qui tria regna quatit,
 Et lacrimæ sine fine datæ, gemitusque perennes,
 Quos pius in magno funere fudit amor,

Sunt populi monumenta Tui, quæ marmora cuncta,
 Quæ vincant pretio busta superba suo.
 Adde quod Illius spatiosum fana per orbem
 Ibit, fatali non cohibenda rogo.
 Huc & clarorum faciunt solatia vatum,
 Qui duros casus, & Tua damna canunt.
 Hos inter, Clariæ Franci lux magna cohortis,
 Condecora lacrimis Regia busta tuis.
 Triiste tuæ postcit funus præconia linguæ,
 Materia eloquio conveniente Tuo.
 Pendet ab ore Tuo magnus cum plebe Senatus,
 Et cunctæ lacrimis immaduerè genæ.
 Immensum tua se fundent lamenta per orbem,
 Et vox est gemitus magna futura tui.
 Solis ab occasu solis noscetur ad ortum,
 Et se per terras æquoraque alta dabit.
 Audiet, & mœstas voces imitabitur Echo,
 Et reddent querulos concava saxa sonos.
 Nunc Tamefis, nunc Ya ululatus aëra rumpunt,
 Et lacrimis fluctus auget uterque suos.
 Eia age, & applausum doctæ mereare coronæ.
 Me vetat infandus dicere plura dolor.

NAMURCA CAPTA
AUSPICIIS ET DUCT
GULIELMI III.

Britanniarum Regis.

Vicimus: indomito cessit Namurca furori
Ardua, submisso procubuitque genu.
Procubuit, Gallo spectante & dira fremente,
Ante pedes domini sanguinolenta sui.
Vincitur illa scrox, quam vinci posse negabat
Hostis, & invita projicit arma manu.
Nec muri aut valli, nec propugnacula tanta
Incursum longa sustinere mora.
Cessere hostiles ingenti horrore cohortes,
Sulphureo nubes dum gravida igne tonat:
Dum dextræ dextris, dum tela minantia telis
Obversa, & sevit qualibet arte furor:
Auditur raucus dum castra per omnia clamor,
Cornuaque & cantus, cum lituisque tubæ:
Dum reboat diris late mugitibus ather:
Et terra effuso tota cruore madet.
Arx alta atque alto nutabant vertice turres,
Cunctaque solliciti plena timoris erant.
Hæc Tibi debetur victoria maxime Regum,
Muneris hæc omnis palma stupenda Tui est.
Te duce sponte ruit violenta in prælia miles,
Factus ab exemplo fortior ipse Tuo.

Te duce ferventi laudum accenduntur amore
Pectora, suspensio non remorata metu.
Te sequitur pars ille Tuæ non infima laudis
Ornamentum Bavaræ præsidiumque rei.
Quæ Tibi cura fuit socias in prælia turmas,
Auxiliatrices quæ stimulare manus!
Scilicet ignarus somni tardæque quietis
In medio belli fulmine semper eras.
Scande triumphales jam victor, scande quadrigas,
Purpureusque albis invehere altus equis.
Et populi plausus, qui te comitetur euntem,
Accipe, qui læta voce Triumphæ canat.
Ferali pro cupressu caput indue lauro:
Serta decent crines hæc, Gulielme, Tuos.
Jam juga, jam valles fremitu plausuque resultant,
Famaque per terras, nuntia læta, volat.
Te mare, te tellus, Te litora curva loquuntur,
Te vastæ rupes, Te canit omne nemus.
Te pater undanti præceps sonat agmine Mosæ,
Provolsens celeres in mare liber aquas.
Omnia te extollunt, præscisque heroibus æquant,
O Rex, o vasti, quem regis, orbis amor!
At vos, o Belgæ, propius qui carpitis ista
Victoris forti gaudia parta manu,
Undique dum festæ lucent per compita flammæ,
Dum se lætantum tollit ad astra sonus,
Solvite pro patriæ communia vota salute,
Solvite clementi debita vota Deo.
Nempe Ducem incolumem vobis salvumque reduxit,
Adfuit & vestræ rursus, ut ante, rei.
Sicille ad patrium serus contendat olympum,
Inter honoratos conspiciendus avos:
Sic salvo Auriaco semper quoque Belgica tellus



Tuta sit, hostiles despiciatque minas.
 Sic quæ illum virtus toties commisit arenæ
 Victorem faciat sæpe referre pedem:
 Donec contusis fausto certamine Celtis
 Figat in hostili capta tropæa solo;
 Vinculaque ipse ferat diffracto Sequana cornu,
 Et Ligeris famulis serpat in æquor aquis.
 Sic pax fidereo redeat mitissima cœlo,
 Claudat & æterna tristitia bella sera.

ELEGIA III.

In Pacem cum Gallis initam.

Lætæ dies venit : summo Pax aurea cœlo
 Labitur, & secum prospera quæque refert.
 Diffugiunt facies Terrorum, Iræque, Minæque,
 Inque Erebi redeunt monstra cruenta lacus.
 Succedit placido mitis Concordia vultu.
 Succedit votis mille petita Quies,
 Intemerata Fides caras complexa sorores
 Dulcia tranquillæ foedera Pacis amat.
 Tolle tuum tandem, duris jactata periclis,
 Tolle tuum tandem, Belgica læta, caput.
 Gaudia clementi veniunt uberrima cœlo,
 Et faciunt curas jam, tibi certa leves.
 Collisos bello populos, tristisque tumultu
 Ætherea summus vidit ab arce Pater.
 Attritas vidit mœstis cum civibus urbes,
 Et cæsa hostili millia multa manu.
 Vidit, & indoluit, Dirumque inhibere furorem,
 Et mundo auxilium ferre paremus, ait.

Extemplo miseras solvit formidine terras,
 Optatum bellis imposuitque modum.
 O Pater! o mundi requies! o Pacis origo!
 O Deus! o populi cura salusque Tui!
 Quod jam feralis grassari cessat Enyo,
 Quod nullus nobis restat ab hoste timor,
 Libera securi quod fulcant æquora nautæ,
 Quod sua securus rusticus arva colit:
 Cornua quod placidos tandem cecinere recessus,
 Et quod respirat patria lassâ, tuum est.
 Effera regnabat Rabies, aciesque coibant,
 Tactaque sanguineo rore rubebat humus.
 Propria lugebant, lugebant publica damna,
 Sollicitæ matres, sollicitæque nurus.
 Hæc raptos bello cognatos, illa parentes:
 Hæc sobolem raptam flebat, at illa virum.
 Omnia jam mutata : ligat Concordia gentes
 Aurea: quæsitæ tempora pacis eunt.
 Hanc ipsi montes, hanc litora curva vocabant:
 Hanc fluvii, motis hanc nemus omne comis.
 Adfuit, o populi, lacrimis in gaudia versis,
 Plaudite; quæsitæ tempora pacis eunt.
 Post nimbos tristesque Hyadas, noctemque profundam
 Gratiior illuxit candidiorque dies:
 Qua sese tandem reddi sibi Belgica cernit,
 Innumeris longo tempore quassa malis.
 Flumina jam mellis, jam currunt undique lactis
 Flumina : quæsitæ tempora pacis eunt.
 Læta Pales Divæ reducis pia munera sentit,
 Et recreat reditu rura relicta suo.
 Ad nullo remeat turbatos sanguine fontes,
 Et pellucentes candida Nais aquas.
 Dejectos alii celebrent è sedibus hostes,

Et memorent valida mœnia capta manu,
 Et densas strages, atque undas cæde tepentes,
 Et loca, quæ toties plena cruoris erant.
 Cæsaris adjiciant partos virtute triumphos,
 Adjiciant passos vincula digna Getas.
 Adjiciant Britonum miscentes prælia turmas,
 Et ducis invicti fortia facta canant,
 Virgineasque Deas dira inter bella cruentent.
 Ah nolim hinc aliquid nominis esse mihi.
 Me Pax alma rapit, me Pacis amabile nomen
 Afficit, & quæ nunc otia mundus agit.
 Pax superat partas sudore & sanguine lauros,
 Et fixa hostili signa superba solo.
 Gaudeat Europe, quæ tot modo tristia vidit
 Funera: quæsitæ tempora pacis eunt.
 Extremas iterum properat mercator ad oras,
 Nec stratum infestis classibus æquor arat.
 Longinquis petit, ut quondam, commercia terris,
 Implet & optata navita merce ratem.
 Hæc tua præcipue laus est, terra Amstelæ! cura
 Illa habuit mentem detinuitque tuam.
 Et quo commodior fieret res omnis, in illam
 Confessim unanimes incubuere patres.
 Quod poterat votis mercantium obstare remotum est,
 Et factum levius per maris æquor iter.
 Currunt, & salvæ contingunt ostia puppes,
 Et repetunt cursus per vada falsâ suos.
 O pueri, nunc cum pateat piscantibus altum,
 Tendite nodosâs, tendite, ut ante, plagas.
 Non frustra prædam captabitis: ite frequentes.
 Nullus jam vestris infidiatur aquis.
 Æquora sunt vobis, sua sunt cultoribus arva
 Reddita. quæsitæ tempora pacis eunt.

Fallimur? an cunctas implent hæc gaudia terras,
 Et loca lætitiæ cuncta recente fremunt?
 Vorticibus volvens lætus majoribus undas
 Ya repercussos edit ab amne sonos,
 Et sonitu strepitante suam interlabitur urbem,
 Dantem lætitiæ publica signa suæ,
 Ardentesque globos mittentem ad sidera summa,
 Mittentem rutilas, ignea tela, faces.
 Hæc inter campana sonans de turribus altis
 Clamat, Quæsitæ tempora pacis eunt.
 O utinam maneant nobis ea propria dona,
 Semper & hinc Batavis aurea sæcla fluant!



DAVIDIS HOOGSTRATANI

ELEGIARUM

LIBER III.

ELEGIA I.

Ad Virum Amplissimum

JOANNEM CORVERUM

Consulem.



Ratia fit caelo: Corveri cognita virtus

En meritis iterum præmia digna refert.

En recipit faeces, patriæ gratissimus urbi,

Inque humeros notos purpura sacra redit.

Diffundunt omnes vultum, plausumque cientes

Exoptant votis prospera quæque piis.

Me quoque cum fas sit (quanquam mihi surgere in altu

Non datur, & numeris magna sonare meis)

Me quoque cum fas sit votivas fundere voces,

Communesque preces lætitiæque sequi,

In partem venio populi lætantis, & oro

Ut tibi felici fidere vita fluat:

Ut constet tibi firma & non onerosa senectus,

Et veniat tardo lux tibi summa pede.

ELEGIA II.

55

Hoc cupiunt doctæ, Consul, tua cura, sorores;

Hoc testudinea clarus Apollo lyra.

Sic, quem tot curis dudum factisque mereris,

Urbis amor crescat tempus in omne tuae.

Sic pax ex alto, Corvero præfide rerum,

Adveniat certa conciliata fide.

ELEGIA II.

Ad Virum Illustrissimum

JACOBUM BORELIUM,

Tertiùm Consulem.

Vota valent urbis: communia vota sequamur,

Et tam festiva gaudia nata die.

Hæc animat cives, cunctorum hæc pectora mulcet;

Hæc distat claro carmina danda viro.

Est mea Musa quidem justo suffusa pudore,

Inque tuas dubitat lenta venire manus:

Sed devincta tibi non uno nomine, Consul,

Mens mea per plausus æstuat ire novos,

Affectuque suo vires superare pusillas

Nititur, in laudes officiosa tuas:

Ut tibi gratetur summi velamen honoris,

Conspicuumque novis fascibus imperium.

Alea jacta mihi est, de totque clientibus unus

Sustineo obsequii munera ferre mei.

Salve læta dies, roseo pulcerrima vultu.

Tu toti populo, tu mihi grata venis.

Insigni tu virtuti, quæ surgit in ævum,
 Tu meritis confers præmia digna suis.
 Tu quod amor iussit populi, quod Curia tota
 Comprobat, applausu prosequiturque suo,
 Exqueris, vultumque omnem diffundis, & urbi,
 Expectata diu, gaudia iusta moves.
 Salve læta dies, roseo pulcherrima vultu,
 Te celebrat docti turba novena chori:
 Patronique sui magno lætatur honore,
 Vindice quo tuta sunt statione Deæ;
 Quoque duce Amstelæ succrescit fama Minervæ
 Promentis larga munera multa manu.
 Te Dea, justitiæ præses, Themis ipsa celebrat,
 Quæ Mystæ laudes concinit ipsa sui.
 Hæc jam sponte sua celso descendit Olympo,
 Et tegit illius mellea Suada latus.
 Splendida quam quondam stupuere palatia Regum
 Tutantem patriæ remque decusque sua.
 Sic ejus sese explicuit præclara parentum
 Virtus & titulis altior ipsa suis.?
 Invidiaque fera, quæ deterit omnia, major,
 Suffulit erectum sidera ad alta caput.
 Salve læta dies, roseo pulcherrima vultu,
 Digna dies plectro nobiliore cani.
 O Cressa signanda nota, gratissima rerum,
 O nata auspiciis lux veneranda bonis!
 Jam frigus mihi, jam nimbos posuisse videris,
 Mitior & tepidis incaluisse Notis.
 Fausta mane, & qui te soles exinde sequentur,
 Felices veniant assimilefque tui.
 Sic dum magnificæ magnus Borelius urbi
 Consulit, atque humeris non leve gestat onus,
 In sobole aspiciat virtutis semina notæ,

Quæ magnos veris laudibus æquet avos,
 Et per ea ad patris famam vestigia tendat,
 Et sibi monstratum gnava sequatur iter:
 Tempore dum lapsu veterum gestamen avorum
 Induat, in simili conspicienda gradu:
 Quæque tegit patrios, veniat modo serior ætas,
 Pendeat ex humeris purpura lata suis;
 Ut tandem rerum saturo festoque Parente
 Floreat in natis non moritura domus.

ELEGIA III.

In funere

Illustrissimi atque Excellentissimi Viri

JACOBI BORELII,

*Urbis Amstelademensis Consulis, & ad nuperam
 Pacificationem Oratoris cum summa potestate.*

Qui modo præclaris titulis & honoribus auctus
 Gaudebat patriæ fidus adesse suæ,
 Borelius laus magna virum, quos purpura sacra,
 Quos ornant fasces, imperiique notæ:
 Majorum par virtuti, par dotibus altis,
 Quas memori tellus mente Batava colit;
 Ecce jacet, telis mortis confossus amaræ,
 Et longus nobis nascitur inde dolor.
 Ecce jacet, cujus res Belgica voce sonabat,
 Cui spem crediderat Pax revocanda suam,

Eloquio quam Suada s. o ditaverat, illa
 Illa fluens largo nectare lingua tacet.
 Illius ad bustum multis exercita Virtus
 Casibus, & meritis Gloria parta sedet.
 Abjecta plorat cithara turbatus Apollo,
 Plorat in Aonio Turba novena jugo.
 Triste caput mediis condit pater Amstelæ in undis,
 Illius & moeror viscera dirus edit.
 Ulla nec admittit duri solatia luctus,
 Nec sibi tractari vulnera cruda finit.
 At vos, o nati, patriæ renovare dolorem
 Ingentem, & mœsta parcite voce queri.
 Parcite dilectum nimium lugere parentem,
 Tantaque de vestra commoda rapta domo.
 Defuncto post tot curas tantosque labores
 Impensos Batavæ nocte dieque rei,
 Aurea quo fessis tandem daret otia terris,
 Jam datur æterna pace poloque frui.

ELEGIA IV.

A D

JANUM BROUKHUSIUM

Cum horum carminum editionem urgeret.

Broukhufi, Clariæ quem nutrivere Sorores,
 Quem fovit caro Pallas amica sinu,
 Quo raperis, vir magne? tuus quo te impulit ardo,
 Verbaque qui dicat plena favoris amor?
 Quid tili mentis erat, cum me mea, maxime vatum
 In medium cuperes carmina ferre dicam?

Parce, precor, nimium tenues laudare libellos.
 Sunt parvæ vires invalidæque mihi.
 Et mea sollicito suffusa pudore Thalia
 Hæret, & ancipitem pernecat ire viam.
 Et scopulos prudens horrescit, & aspera saxa,
 Tam formidati quæ tegit unda maris,
 Et syrtes, in quas tot jam impegere carinæ,
 Ludibrium Boreæ, ludibriumque Noto.
 Ergo ego sustineam magnis comes ire poetis,
 Quos canit æterna fama benigna tuba?
 Ergo ego securus patiar,positoque timore,
 Inculca à media carmina plebe legi?
 Nec me terrebit virtus morosa Catorum,
 Quæ sub judicium singula verba vocet,
 Quæ virga instituat limaque severius uti,
 Et rigido in versus sæviat ungue meos?
 Ah metuo, mihi ne properati audacia cœpti
 Sit fraudi, & longe spem ferat aura meam.
 Icarus & Phaëton, priscorum fabula vatium,
 Nomina sunt animo non imitanda meo.
 Sunt mihi terrori nimium sublimia semper,
 Conveniunt votis nec nisi parva meis.
 Hæc te scena manet: dudum tellure relicta
 Ad celsum vexit te tua Musa polum.
 Implevitque tuum cœlesti nectare pectus,
 Et docuit cædro carmina digna loqui,
 Victurumque dedit nullo non tempore nomen.
 Et cinxit meritas fronde virente comas.
 Sic antiquorum servans vestigia vatium
 Vicisti numeris tempora nostra tuis.
 Tanariis sese referat si Pindarus umbris,
 Si Flaccus, Latia gloria prima lyrae,
 Te celebrent dulci modulantem carmina plectro;

Et

Et quatiat pennas Cygnus uterque suas.
 Non ficto se commendans Elegeia cultu
 Per te nativo pulchra decore nitet.
 Qualem Callimachus, tenerique Propertius oris,
 Fundentem roseo nectar ab ore dedit.
 Illo nec minor es, viridi qui valle capellas,
 Et placidas Siculo carmine mulsit oves.
 Nec minus atroci quid possis sensit Iambo
 Tentator famæ degener ille tuæ.
 Tu facis ut redeat nobis illa aurea quondam
 Aetas, munditie nobilitata sua,
 Quam non barbaria pestis foedavit acerba,
 Quæ rapuit gentes exitioque dedit.
 Tu facis ut redeant hæc qui vestigia passu
 Presserunt æquo, nec minus artis habent:
 Ut redeat nostras iterum delatus in oras
 Grotiades, Batavi gloria rara soli,
 Heinsiadæque parens, & non minor arte paterna
 Filius, æternum cum patre nomen habens,
 Et Doufa, & non fucati candoris imago
 Baudius, Aonii lucida gemma chori,
 Et quo se jactat tellus Hagana, Secundus,
 Ille tui confors nominis, ille lyræ,
 Atque alii plures, quos coelo Musa beavit,
 Carmine viventes tempus in omne suo.
 Quid toties quæris tanta inter nomina nomen
 O Phoebi, o Charitum cura, referre meum?
 Mi sat erit populi voces audire faventis,
 Quosque dabit plausus continuare meis,
 Quamque habitas urbem felicem jure vocare,
 Quæ stupet ingenii flumina vasta tui,
 Me quoque felicem, tibi quem concordia junxit,
 Et non rumpendæ foedus amicitia.

O quoties, mihi dum vires in carmina quæro,
 Carmina lustravi Pieridasque tuas!
 Cum bene lustravi, defixus lumine in illo,
 Labitur ingenti spes mihi victa metu.
 Protinus in vanos manus acriter ipsa labores
 Sev't, & inceptum damnat & odit opus,
 Crudaque detrectat committere carmina luci.
 Claudentur pluteo tutius illa meo.
 Hoc cupit & Livor, quamvis vix ille timendus,
 Vilia cum spernat, nec nisi magna petat.
 Barbaries certe densissima temporis hujus
 Ipsa meum jubeat me retulisse pedem.
 Hæc parcit nullis: hæc miscens sacra profanas
 Judicio gestit quæque notare suo.
 Quæ si forte aliquo me sit dignata favore,
 Meque putet dignum laude, quid inde feram?
 Scilicet hæc nostram tangent præconia mentem,
 Quod similem statuat me sibi, seque mihi?
 Rusticus est, tali qui vult notescere fama,
 Et necsit capiti ferta caduca suo.
 Paucorum potius nobis meruisse favorem
 Cura sit, & vani nominis absit amor.
 Sed quid ego hæc frustra, si me tamen ista voluptas
 Detinet, & spontis non finit esse meas?
 Nos stimulis agitât cantandi blanda libido,
 Nescio quis nobis & Deus ora movet.
 Quid contra obnitar? res est dulcissima carmen,
 Illecebrasque suas, quis capiamur, habet.
 Admonitu nec nulla tuo fiducia nobis
 Additur, injectos imminuitque metus.
 Francius ipse tuus, quo nil sincerius usquam est,
 Laudat conatus exstimulatque meos.
 Ioc ego præsidio fretus novus ales in altum

Tollar, & ignava non cohibebor humo,
 Nec mihi jam livor, nec barbara turba nocebit:
 Jamque mihi vires Cynthus ipse dabit.
 Quin etiam monitis jam nunc paremus amicis,
 Effugiunt latebras & mea scripta suas.
 Tu modo, Broukhufi, consueto respice vultu
 Carmina iudicio tuta futura tuo.

ELEGIA V.

A D

JOANNEM GEORGIUM GRAEVIUM

Cum vernaculis suis poematis.

Accipe Romanæ, Grævi, facundia linguæ,
 Castalii ductor præsidiumque chori,
 Accipe, materno quæ pridem lusimus ore,
 Admitte & tenues aure favente modos.
 Invenies illic varii monumenta laboris,
 Invenies vario carmina structa pede.
 Jam duras fati leges, jam canto benignas,
 Lætæque flebilibus mista libellus habet.
 Sunt quoque doctorum capitum præconia iusta:
 Nec tu laude cares, magne Vir, ipse tua.
 Hæc ut erant nostræ conamina prima juventæ,
 Sic studium illud idem, quod fuit ante, manet.
 Quin etiam numeris mihi nunc libet ire Latinis,
 Romuleasque Deas carminis arte sequi.
 O utinam pontum liceat dare vela per illum
 Auspice te, cursus & moderante meos!
 O utinam per te, Grævi, mihi dexter Apollo
 Annuat, & tutas ipse det ire vias!
 Tunc animi venient nobis, tunc nostra Thalia
 Plena spei certæ, plena vigoris erit.

MANIBUS

JOANNIS MENSINGÆ

S.

TE quoque, sancte senex, rapiunt immitia fata,
 Et tua perpetua lumina nocte premunt.
 Occumbis, cursuque tuo sine labe peracto
 Tendis ad ætheræ lucida regna plagæ:
 Quo tibi Religio, placidoque Modestia vultu,
 Quo pietas dudum candida fecit iter.
 Jamque tuæ frustra exequitur præconia laudis
 Groninga, effusas pulvere sparsa comas.
 Testæque funerea circum sua tempora fronde
 Assiduis frustra fletibus ora rigat.
 Te melius Pallas, melius te Suada celebrat,
 Pieriusque Pater, Pieriæque Deæ.
 Et tibi carpentes Pindi de vertice lauros
 Accumulant busto debita dona tuo.
 Quicquid habet corpus, subita perit omne ruina.
 Effugiunt avidos hæc monumenta rogos.

A D

JOANNEM TEXELIU

De studiis suis.

GLoria sacrata non inficienda catervæ,
 Texeli, Aonio maxima cura choræ,
 Cujus ad argutas attendit Rotta camœnas,
 Cum tua culta manus nobile condit opus;
 Cum genus humanum cœlesti nectare pascis,
 Et magni pandis iussa verenda Dei;
 Si quid agam quaris, vivo, valeoque, nec ulla
 Dama mea domui fors inimica tulit.
 Invenio in studiis, ut quondam, dulce levamen,
 Non satis ex voto si mihi vita fuit.
 Nec minus evolvo veterum monumenta virorum,
 Immensi semper quæ stupor orbis erunt.
 Miratorque vetustatis vestigia lustro
 Magnarum, tempus quas abolevit, opum.
 Inde vel in celeres currit mihi carmen Iambos,
 Inde vel in lyricos bucolicosque modos.
 Et dum Nasonem stupeo, dum pagina Flacci
 Delectat mentem nectare fœta meam,
 Compono prisca nostrorum tempora vatium,
 Et quantum distent utraque, scire juvat.
 Jam paro, ut alterno decertet epistola cursu,
 Qua mihi dilectos osculer articulos,
 Qua caros liceat mihi compellare sodales,
 Et genio illorum colloquioque frui.
 Non aliter fecere viri, quos Fama benigna
 Vexit in excelsis sidera ad alta rotis.

Illorum exemplo, fervente cupidine ductus
 Aptavi nervis Musica sacra meis.
 Addebat stimulos titulis clarescere honestis,
 Et mea raptabat pectora laudis amor.
 Ergo bonas artes teneris edoctus ab annis
 Me totum studiis mollibus usque dedi.
 Inque suos Musæ me pertraxere labores,
 Et quod me possset tangere, carmen erat.
 Hinc modo Dordrechtii, modo Leidæ dulce canebam,
 Rhenus ubi placido murmurare volvit aquas.
 Hinc pastorales modulabar arundine versus
 Ad ripas Rottæ, seu, vage Mosæ, tuas.
 Et nunc in Batavis cupiebam ludere pratis,
 Et nunc in campo, Roma disertæ, tuo.
 Urbs patria hos lusus attentis auribus hausit,
 Quæ Desiderio jure superba suo est.
 Illic heroum, sibi quos sapientia sacrat,
 Dum memori dotes factaque mente colo,
 Tu quoque, Texeli, numero reperiris in illo,
 Estque tuum crebro nomen in ore mihi.
 Nempe tuum agnoscit mens non ingrata favorem,
 Quo me fecisti tempus in omne tuum.
 Di faciant, ut fortuna felice fruaris,
 Nec tibi det tristes tarda senecta dies.

A D

JOANNEM GORISIUM

Ut in novi anni initio lætitiæ indulgeat.

Hic quoque temporibus nostris est additus annus,
 Qui venit, & secum prospera verba vehit.
 Gratia magna tibi, summi Moderator Olympi,
 Qui cumulas larga munera tanta manu;
 Auspiciis cujus tot jam superavimus annos,
 Et non infausto tempora lapsa pede:
 Auspiciis cujus vitare pericula mille
 Fas fuit, & fato candidiore frui:
 Quo dante & sese morbi vis sæva remisit,
 Et mors cum telis atra repulsa suis.
 At tu, noster amor, Musarum maxima cura,
 Concipe felici jam bona verba die.
 Excutiantque tibi tristes nova gaudia curas,
 Et minuant vitæ tædia multa tuæ.
 Et si quid terrico contractum insuave labore,
 Hic tibi substituat prosperiora dies.
 En ego, mole mei non impediende laboris,
 Nunc iterum ad Musas & mea sacra feror.
 Ad jucunda voco. nihil est hac luce dolendum.
 Quid dubitas, Gorisi, publica vota sequi?
 Quod tribuit cœlum, lucro apponamus uterque.
 Nec cœlum vultus explicuisse vetat.
 Blandaque lætitiæ nihil obstat prodere signa
 Innocuisque jocis, innocuoque mero.
 Sic redeant nobis Jani, velut ante, Kalendæ.
 Sic multi superent, & sine nube, dies.

Ætatisque tuæ, quæ multum crescit eundo,
 Adsit temporibus semper amica quies.
 Quodque geris munus perpes concordia firmet,
 Vinculaque haud ulla dissoluenda manu.
 Sic mihi sit tibi ferre meam de more salutem,
 Et te carminibus demeruisse meis:
 Quæ non invito recitem: Constantis amoris
 Sunt ea, & illæsa pignus amicitia.

ELEGIA IX.

A D

EUNDE M.

*A morbo nondum confirmatus Natalem ejus
sexagesimum celebrat.*

Optatum lætis dum ver caput extulit arvis,
 Omniaque hybernis elicit è latebris,
 Natalemque Viri, cui me junxere Camcenæ,
 Et quem jam toties dicere jussit amor,
 Inter amicorum plausus & gaudia profert,
 Datque piis votis omnibusque locum,
 Quid furibunda meos febris depasceris artus?
 Quid laceras sævis pectora nostra modis?
 Quid tibi nobiscum est dira anxietate nocenti?
 Quid mihi cum flammis torminibusque tuis?
 Nunc me tempus erat diverso ardescere ab igne,
 Nunc mihi Phœbeo numine corda rapi.
 Nunc ad jucundo surgentia gaudia sensu,
 Et læta ad festas mente venire dapes.

Da veniam, Vir doctæ, tibi si carmina mitto
 E morbo domini languida facta fui.
 Da veniam, si, quæ superant in carmina vires
 Quamlibet exiguas exerit ista dies.
 Nam meritis devincta tuis non Musa filere,
 Nec valet officii non memor esse fui.
 Nec valet in medio non prodere gaudia morbo,
 Pressa diu sævis sit licet illa malis.
 Salve læta dies, animo gratissima nostro!
 Digna dies plausu, carmine digna meo!
 Læta dies, modo quæ bis sex post lustra reversa
 Cingis honoratum fronde virente caput!
 Quidve moror frondes? albentia tempora canis
 Non addunt levius, quam folia ipsa, decus,
 Et de multiplici contextæ flore coronæ,
 Et ferta, adventus dextera signa tui.
 Exoptata dies, & nulla squallida nube,
 Quot bona, quot tecum splendida dona vehis!
 Quod vivat valeatque, cui mea carmina libo,
 Nec veniat tristi dura senectæ pede:
 Quod nondum subeant ægræ fastidia vitæ,
 Ingenii & valeat robore, ut ante, sui:
 Mens quoque sit constans tantarum in pondere rerum,
 Nec defessa labet, muneris omne tui est.
 Tu facis ut nondum spoliū sit mortis avaræ:
 Tu facis, ex votis ut bona cuncta fluant.
 Tu facis ut purus vitæ, & sibi conscius æqui
 Perpetua mentis vivere pace queat:
 Quam non conturbat mundi fallentis imago
 Infida, externis & speciosa bonis,
 Foeta neque exemplis variæ inconstantia fortis,
 Et quæ Mors sæva subruit atra manu:
 Sed quam confirmat virtus sibi plurima merces

Sola, & divitiis conspicienda suis:
 Et studii constantis amor, doctique labores,
 Unde illi ex æquo gloria multa venit:
 Erutaque ex tritis sapientia plurima chartis,
 Quas nobis Hellas Romave clara dedit.
 Hæc quoque cum ratio possit linquenda videri,
 Otiaque ætati non minus apta forent,
 Jamque sit ut positis deberet vivere curis,
 Fessaque quæ recreat corda quiete frui:
 Non ferat hoc ardor notus spectataque virtus,
 Et quæ non parvum gloria calcar habet,
 Non hoc Ya neget, qui te sibi gaudet adeptum,
 Non neget hoc curæ credita turba tuæ:
 Musarum non ipsa cohors, comitesque severæ
 Militiæ, cujus pars quoque dicor ego.
 Sed quid ego ulterius laudum argumenta tuarum
 Exequar? ah prohibet me pudor ille tuus,
 Quæque tuos ornat laudata modestia mores
 Obsistit prompti vocibus officii.
 Exoptata dies, animo gratissima nostro!
 O lux, o largo lumine plena dies!
 Nos te festivo læti veneramus honore,
 Pieriaque damus vincula nexa manu.
 Quæ me invisâ tenet tandem mora? Limine noto
 Sistite me sacra, turba novena, Deæ.
 Fallor? an indomitæ incipiunt vanescere flammæ,
 Et subito morbi frangitur ira mei?
 En ego jam præsens præsentia gaudia specto,
 Et sedeo caris junctus amicitiiis.
 Atque inter calices & dulcis dona Lyæi
 Depono curas abjicioque meas.
 O formosa dies, per nos tua gloria crescit.
 Te colimus votis lætitiâque tuam:

Candidaque ut redeas iterumque iterumque precamur,
 Et maneat ritu tota serena tuo.
 Sic te rite canam solita pietate quotannis,
 Et solitos plausus, & bona verba dabo;
 Si modo Diva Salus longo languore levari
 Me finat, & sacris semper adeste tuis.

E L E G I A X.

A D

JANUM BROUKHUSIU

In secessu suburbano viventem.

DUm Fortuna tibi post tot discrimina rerum,
 Post tantos casus oria lata facit,
 Dum studiis animum intendis, dum liber ab omni
 Munere, Musarum dulcia sacra colis,
 Me tetrici cruciant, Broukhufi care, labores,
 Et languentem animum cura maligna vorat.
 Nec te iusta latet repetitæ causæ querelæ,
 Quamvis humana plus valet arte malum.
 O quoties dirum volui depellere luctum.
 O quoties curas attenuare meas!
 Interdum placuit fidos adiisse sodales,
 Ut fieret gravibus parva medela malis.
 Interdum libuit secessus quarere solos,
 Si possem mentem forte levare meam.
 Omnia nequicquam, nequii reperire quietem,
 Et densa curæ quæ sequerentur erant.

Hæ tergo instabant fugientis, & impete multo
 Vexabant animum nocte dieque meum.
 Nec mihi non subiit Pindum doctasque sorores
 Visere, & Aonii limen adire Dei.
 Quod tamen hoc potuit nobis adferre levamen?
 Quod mihi lenimen, quæ mihi nata quies?
 Dum me nempe tenet scribendi carminis ardor,
 Et memorem fati non finit esse mei,
 Dum fugiunt partim curæ, languorque senescit,
 Et nova spes pectus firmat, ut ante, mihi,
 Rideor, & vulgi petulantis fabula fio,
 Quod male Pierium damnat & odit opus:
 Carmina quod steriles nugas, & mentis inertis
 (Stultitiam spectata) dicitur esse notas.
 Ergo hæ deliciæ, quondam memoranda voluptas,
 Contemptæ sordent, & sine honore jacent?
 Ergo nihil sanctum est, & frustra Numine plena
 Edit divinos Musica turba sonos?
 Ergo nec illa, tibi peperit quæ nobile nomen,
 Barbitos, immanes apta movere feras,
 Barbitos excellens, & non imitabilis ulli,
 Aut laudem, aut meritis præmia digna refert?
 Quid quod iudiciis contra patet illa severis,
 Censores etiam ferre coacta suos,
 Qui lacerent illam, morsuque nocente lacerant,
 Intempestivas injiciantque manus?
 Me quoque (si fas est parvis componere magna,
 Et sum Pierii pars quotacunque chori)
 Me quoque livor iners, & stulti pagina Codri
 Læsit, furtivis impetiitque modis.
 Et tamen innocui certe, nec multa petentes
 Vivimus, & pacis nos tenet unus amor.

O felix, quamvis obstant insuavia multa,
 Nec te curarum nullus amaror habet,
 Qui frueris jam pace data, placidusque quiescis,
 Intentus libris tempus in omne tuis.
 Illic incerti stultissima somnia vulgi
 Despicias, & fluxas, quas habet orbis, opes.
 Illic invidias labem dirumque venenum
 Spernis, & ignava spicula missa manu.
 O iterum felix, opibus qui ducris istis,
 E quibus est folis vera petenda quies!



DAVIDIS HOOGSTRATANI
 ELEGIARUM
 LIBER IV.

ELEGIA I.

A D

PAULUM EDINGIUM.

De parum felici patria statu.



Dingi, Phœbi studiis exulte medentis,
 Juncte mihi longæ fœdere amicitia:
 Accepi nuper missam, dilecte, salutem:
 Cumque tuis verbis lecta querela tua est.
 Jure vices Patriæ miserandaque fata dolentis
 Questibus accedo, nec minus ipse queror.
 Languentis vultum agnosco, & miserabile vulnus,
 Eliciant lacrimas & mala tanta meas.
 Agnosco navem, tumidis quæ fluctuat undis,
 Savaque ab aëria fulmina missa domo:
 Spem quoque dejectam, sensim crescente periclo,
 Dum mare, dum venti, dum fera sevir hyems.
 Jure cies lacrimas, & tristia tempora luges,
 Et quod sit nobis mortua pœne salus.

Jure dolent tecum moerentque hoc nomine cives,
 Quos sua, quos patriæ publica damna premunt.
 Moerent agricolæ, moerent matresque nurusque.
 Ætatem cruciat quamlibet ille dolor.
 Sed tamen in rebus, quas fors turbavit acerba.
 Mens mea stat firmo, quo stetit ante, gradu.
 Spes fit rapta licet, nostro tamen illa refurgit
 Corde, & sollicitum cogit abire metum.
 Hæc facit, ut cœlo ventura levamina credam,
 Et certam, nobis quam negat orbis, opem.
 Ille Deus, bene quo Batavûm res publica mixta est,
 Non finet expertes ponderis esse preces,
 Quas mœstus fundis, quas fundit Belgica tecum,
 Non intermissis Belgica fracta malis.
 Ille Deus, toties hostes structasque moratus
 Infidias tuto tramite sternit iter:
 Cui, modo res poscat, rerum natura novatur,
 Cui tellus, vastæ cui famulantur aquæ.
 Inspice majorum, Edingi, monumenta: videbis
 Auxilium summo sæpe venire polo.
 Hostili è terra multæ solvere carinæ.
 Nec mora: vi magna litora nostra petunt.
 It mare mutato cursu, fluxuque stupendo
 Disjicit, id cœlo præcipiente, rates.
 Divinæ agnoscunt hostes miracula dextræ,
 Et repetit patrium vis stupefacta solum.
 Gallus adest alias signo victrice superbus,
 Adstrictisque gelu pergere cœpit aquis.
 Rumpit iter Pater omnipotens glaciale per imbres.
 Consiliisque feris injicit ipse moram.
 Surgunt æstiva rursùm caligine nubes.
 Tardatur properans decipiturque manus.
 Conjurant gemini Batavorum in roborâ Reges,

Sed desiderio falsus uterque suo est.
 Exigua, at cœli semper defensâ favore,
 Viribus unitis terra Batava stetit.
 Hoc formidatus late quoque sensit Iberus,
 In Batavos cujus nil valere doli.
 Hoc sensere alii quondam, quos dira libido
 Impulit in nostræ tristitia damna rei.
 Cœlicura sumus, cœli clementia sæpe
 Admissit nostras aure favente preces.
 Sed juvat exemplis quid te lassare vetustis?
 In nova, quæso, mihi tempora mente redi,
 Nonne tibi subeunt discrimina nupera? nonne
 Quis pœne oppressa est patria tota malis?
 Ecce duo infando sociati fœdere reges
 In nos conjunctis viribus arma parant.
 Et modo per fraudem, per vim modo multa cruentam
 Tentant, & nostras aggrediuntur opes.
 Nec satis est lacerasse manu sua viscera dira.
 In socios rabies ista parata fuit.
 Et nunc vidisses suprema, Britannia, fata,
 Et nunc ictu isto, patria, lapsa fores,
 Ni Deus ætherea nos respexisset ab arce,
 Et gratam nobis inde tulisset opem.
 Auriacus subito patriis eluxit in armis,
 Ille manu fortis, consilioque potens.
 Religio rediit, Libertasque alma Britannis,
 Nostraque sunt omni corda levata metu.
 Fugerunt longe gemitus, fugere pericla,
 Cœpit & optata luce nitere dies.
 Principe sub tanto noxas superavimus omnes,
 Et rediit nobis, qui fuit ante, vigor.
 Æquora victrices Batavûm videre carinas.
 Fregimus hostiles contudimusque minas.

Stat mediis dux iste malis, quo vindice tuta
 Omnia suspensos deposuere metus.
 Ille pater patriæ (quid enim est animosius illo?)
 Pro caris Belgis cuncta pericla subit.
 Nec deerit nobis umquam (constantia tanta est!)
 Dum sequitur proavos, non minor ipse, suos.
 Quod si nec bello credas nos posse juvari,
 Nec sit ab infano Marte petenda salus,
 Effulget mediis certæ spes pacis in armis,
 Aurea qua rursus sæcula dante fluent.
 Quando erit, ô Dea, cum Batavas remeabis ad ora
 Quando ego te dulci pectine, Diva, canam?
 O quam te cuperem numeris efferre canoris!
 Quam mihi materies carminis ampla fores;
 Et cum formoso nova lux enascitur ore,
 Et cum nox atris furva venit tenebris!
 Alma veni, & tecum felicia tempora ferto.
 Sola decus nostrum, sola levamen eris.
 Omnis te votis exposcit Belgica iustis.
 Hei mihi, quid cessas, Pax bona? Diva veni.

ELEGIA II.

A D

JOACHIMUM TARGERII

Poësin commendat.

AT non his Helicon pateat, non cantor Apollo
 Castalias sacro fonte ministret aquas,
 Non Musæ faveant umquam: sed laudis egeni
 Traducant vitam tempus in omne suam,
 Qui divinorum dementes otia vatam
 Culpant, & studium carmen inane vocant.

Non sic Roma vetus sensit, non nobilis Hellas,
 Ingeniis genetrix utraque clara suis.
 Carmina demissiles, expers jacuisset honoris
 Utraque, & illarum gloria nulla foret.
 Carmina demissiles, non nosset serior ætas
 Meconides nobis quæ documenta dedit,
 Ille Pater vatam, magni cantator Achillei,
 Nec senis Ascræi nobile nosset opus.
 Et quos majestas nobis Romana legends
 Obtulit, obscura contegerentur humo.
 Tu melius, Joachime; sacrasque per avia Divas
 Quaris inoffenso persequerisque gradu.
 Inque choro vatam velatus tempora lauro
 Thespiaco pasci nectare sæpe soles.
 O quoties tuus audivit nos Merva canentes,
 Et nostros facili combibit aure modos!
 O quoties mecum Aonidum spatiatum in hortis,
 Movisti argutæ fila canora lyrae!
 Cynthius hoc vidit, ponto qua surgit Eoo,
 Et qua defessos in mare mergit equos.
 Carmina fecerunt, fluerent ut tempora nobis
 Mollius, & fureret fors inimica minus.
 Carmina fallebant invisas suaviter horas.
 Carmina erant animo multa medela meo.
 Sæpe ubi tristis eram, minuebant illa dolorem.
 Sæpe novas vires auxiliumque dabant.
 Mordaces inter curas durosque labores
 Sæpe mihi est fessa sumta tabella manu.
 Nec tamen haud illinc sensi solatia nota,
 Nec mihi quæsitam Musæ negavit opem.
 Et quisquam ingratas audens mihi dicere leges
 Invitam cogat me cohibere manum?
 Aut qui felle madens depascitur omnia Livor

Me petat, ut sileat lingua retenta metu,
 Ne lacerent illi nostros carpantque libellos,
 Quorum iudicio rustica Musa mea est?
 Non ita sacratis invisus vivo Camcenis,
 Ut timeam imbelli spicula iacta manu,
 Utque meas artes atque hæc mea sacra relinquam
 Impius, à doctis sæpe probata viris.
 Si quis, ut in populo, non sanos esse poetas,
 Et tantum nugis incubuisse putet,
 Ignorat, doctas ornent quæ præmia frontes,
 Ingeniique decus, quod sine fine manet.
 Commodaque ignorat studiis manantia ab istis,
 Unde usus habeat publica vita suos.
 In numeris talis iudex male providus hæret,
 Et censet solis cuncta notanda modis.
 Tu vero sacros vates vitæ esse magistros
 Crede, & de cælo munera ferre polo.
 Illorum monitis Chryssippi dogmata cedunt,
 Et quæ de prisco Crantore nomen habent.
 Illorum monitis sibi postera consulit ætas,
 Nec parvos fructus colligit inde sibi.
 Discimus ex illis, nobis adferre medelam,
 Atque ope Phoebea grande levare malum.
 Discimus ex illis & nos alioque docere,
 Et profectura promere multa manu.
 Vulgus abi, cultu Sapientia tecta decoro
 Obvia (nos ultra quid remoraris?) adest.
 Quali Simplicitas pridem comes hæsit eunti,
 Cum largas ætas aurea fudit opes:
 Cum nondum fastus, cum nondum dira libido
 Concuterent hominum pectora mille modis.
 Hac duce carpentes iter irrifere poëtæ
 Quod mentes hominum stultaque vota ferunt,

Quicquid & ambitio, vel amor sceleratus habendi
 Sudoris pretium credidit esse sui,
 Et bene quod vulgus quæri per funera fratrum
 Credit, & audaci mista venena manu.
 Enthea gens melius, stolidos exosa labores,
 Sustinuit fictis abstinuisse bonis.
 Naturæ contenta opibus nil quæsit ultra.
 Ambitio in toto pectore nulla fuit.
 Quod si nos, dilecte, viam calcamus eandem,
 Et nostrum pravo pectus amore vacat,
 Quis iudex, nisi mentis inops, hæc otia damnans
 Nos falsis ludi dicat imaginibus?
 Quis censor, nisi perversus vitioque creatus
 Arguere hos lusus deliciasque velit?
 O nobis modo sit communia sacra tueri
 Cura, & dilectas demeruisse Deas.
 Atque utinam propius detur sic vivere nobis,
 Targeri, antiquis deliciisque frui!
 Si nostras uno jungenti foedere mentes
 Eiusdem studii cultor uterque sumus,
 Hei mihi, cur tanto disjungimur intervallo,
 Corpore distantes, cætera mente pares?
 Quicquid id est, quo nos traxerunt fata secutis,
 Dulce sit in studiis vivere, dulce mori.

I N

MEDICINAM COMPENDIARIAM

ab EODEM conscriptam.

T Argerius dudum studiis operatus amatæ
 Palladis, Aonii curaque spesque chori,
 Dilectus Phœbo ante alios, artemque medendi
 Doctus, & agrorum triste levare malum;
Quo dante horrendus tenebrosi portitor orci
 A sibi commissio sæpe labore vacat;
 Post tot prostratas Hydras, tot monstra subacta,
 Post tot victricis fixa tropæa manu,
 Depromit cultos populo plaudente libellos,
 Frugiferumque suis civibus edit opus:
Quod nec Romani damnent Grajique Medentes,
 Totaque quod merito terra Batava probet:
 Quod non invidia, quod non debile sacclis
 Postgenitis etiam causa salutis erit.
 Et jam Phœbeo præcinctus tempora ramo
 Doctrinæ pretium, quale meretur, habet.
 Usque adeo multum est pectus coluisse sacratis
 Artibus, & patriæ consuluisse suæ.

A D

ENGELBERTUM EDINGIUM.

H Umanum tua dum rimatur dextera corpus,
 Et rara cœcas detegit arte vias,
 Et sese partes vertens non segnīs ad omnes
 Ostendit, qua se nocere possit homo;
 Te populi plausus celebrant laudesque faventis,
 Et statuis famæ clara tropæa tuæ.
 Tota salutiferum agnoscit patria, ecce, laborem.
 Ecce tuas curas patria tota probat.
Quin miseri per te longo languore levati
 Enarrant titulos ad tua facta tuos.
 Plus aliquid, quam nos prisci docuere Medentes,
 Plus aliquid certe nos tua lingua docet.
 Te narrante reclusarum miracula rerum,
 Docta cohors omnis pendet ab ore tuo.
 Gaude forte tua. scena sublimis in alta
 Virtutis cernis præmia justa tuæ.
 At mihi Pieriæ non donant æra puellæ,
 Nec mihi de sterili nascitur arte favor.
 Tu similesque tui tenuem laudatis avenani,
 Carmina mirati, Pieridasque meas.
 Cætera turba palam studii infelicis amorem
 Ridet, nec cantu tangitur ulla meo.
 Et tamen ista subire jubet fastidia sacclī
 Cynthius. in pectus jus habet ille meurn.
 Hæc mihi nascenti neverunt fata sorores,
 Ducentes triplici stamina certa manu.
 Quid superest nobis? sequimur mandata Dearum
 Vibrantum ardentēs in mea corda faces.
 Da veniam, Edingi, morbumque ignosce fatenti.
 Quippe mihi juris non datur esse mei.

A D

JACOBUM BODANIUM

*Cum summis in utroque Jure honoribus
insigniretur.*

A Urea lux oritur rapidis adveſta quadrigis,
Aurea lux, votis ſæpe petita tuis.
Hac tua, Bodani, æthereas ſolertia ſedes
Cogitat, & vilem gnava relinquit humum.
Hac, tibi neſtendæ viridi de fronde coronæ,
Hac, danda ingenio præmia digna tuo.
Hæc poſt tot curas, poſt tot molimina rerum,
Non intermiſſi meta laboris erit.
Tanta dedere tibi vigilatæ commoda noctes,
Et multa exacti ſedulitate dies.
Te ſtadium conſtans vaſtum dare vela per æquor,
Nec nimium faciles juſſit inire vias.
Et jam ſperata tandem tellure potitum
Ardet honoratis addere Leida viris.
Et tibi ſanctarum referat ſacraria legum,
O amor, ô Themidos myſta togate tuæ!
Eia age, ſume decus longo ſudore paratum,
Eia age, virtutis præmia ſume tuæ.
Et qua te fervens genii rapit impetus, aude
Tendere iter, proavis nec minor eſſe tuis.
Sic quæ te emiſit dias in luminis oras
Conveniens ſtirpi nomen in orbe ſeras.

In Nuptias

HUBERTI HOPII,

ET

MARIÆ MOLLIÆ.

E N lacrimas tibi jam ſiccet Fortuna benigna,
Et tua jucundus coepta ſecundat Amor.
Fugerunt gemitus, fugerunt mille dolores,
Et quicquid Veneris primus amaror habet.
Mollem ſe præbens jam Mollia, baſia jungit
Mollia, virtutis præmia multa tuæ.
Mollis adest, & ſperato concedit amori
Illa, ſub amplexus nec negat ire tuos:
Cui virtus dedit & regina Modeſtia morum
Nobile virgineo nomen habere choro.
Applaudit Cithærea tibi, lætusque Cupido:
Applaudunt Charites, plaudit & ipſa Themis,
Delicia Themis alma tuæ, cui myſta fidelis
Multa ſoles larga turâ cremare manu.
Exultat quoque Merva Pater, mea gaudia quondam;
Dum non parva tibi commoda ſpondet Hymen.
Ecce offert Majus nitidos, ſua munera, flores,
Impediens ſponſæ fronde virente caput.
Tu lætus dominæ paſſurus regna puellæ
Non renuis caro ſubdere colla jugo.
Edoctusque leves gemitus & fundere ſletus
Laberis, & conſtas vix, velut ante, tibi.
Dilectos natos, Veneris pia præmia caſtæ,
Deliciaſque tibi fors dabit iſta novæ;

E

Dilectos natos, curarum suave levamen,
 O Hopi, & focii pignora grata tori.
 Sic Lucina tibi det nomen habere Parentis,
 Et desiderii æqua fit usque tuis.
 I quo te vocat almus Hymen, parvusque Cupido,
 Quo roseæ Charites, quo Cytherea vocat.
 Sic tibi stet nullo temerata dolore voluptas.
 Sic tibi stet nullis commaculata malis.
 Sic liceat multos cum conjugè molliter annos
 Vivere, & in patrio consenuisse solo.
 Sed quid vos moror? atratis nox ingruit alis,
 Condidit & dudum Cynthius ora mari.
 Lectulus expectat: vos lectulus urget ad arma.
 Bellate, & multa prole beate domum.

ELEGIA VII.

A D

JOACHIMUM TARGERIU

C U M

IDAM VERDUVIAM

Domum duceret.

ADvenit sperata dies. junguntur amantes,
 Votaque successu non caruere suo.
 Sic relevas vatis duos, Hymenæe, labores,
 Jamque dies illi mollius ire facis.
 Et merito: ille tuum late celebravit honorem,
 Et cecinit laudes ad tua festa tuas.
 Ille tuas turbam teneram perduxit ad aras,
 Nexuit & numeris vincula sacra suis.

En nunc ipse suo stimulos sub pectore versat,
 Sequè Cupidino sentit amore rapi.
 Nec curat Musas ultra: Parnasia linquit
 Culmina, nec pleetro dulce sonante canit.
 Nec curat Phœbum, ut quondam, Phœbique medelam,
 Vulneraque artifici restituenda manu.
 Ignibus Idaliis agitatus cogitat Idam,
 Idalios campos, Idaliamque Deam.
 Nec, nisi dura suis quæ læsit corda sagittis,
 Virgo levat certa vulnera facta manu.
 Idam poscit opem: sola spes omnis in Ida.
 Ida quies tanti est & medicina mali.
 Ida illi nunc est longe formosior ipsa
 Cypride, non tacta candidiorque nive:
 Quæ nunc perfimili tandem percussa furore
 Vatis amatoris cor juvenile fovet,
 Dumque columbino jungit nova basia more
 Cœleste adspirat nectar & ambrosiam.
 Quem tibi nunc animum sentis, dulcissime rerum?
 Quis tibi nunc repit tota per ossa calor?
 Felix forte tua, felicibus utere donis,
 Utere deliciis, quas habet alma Venus.
 Quæ precor ut totidem tibi sint, quot litora conchas,
 Quot cœlum stellas, quot gerit Hybla favos.
 Sic incrementum capiat, flammæque potentes
 Excitet, & vires tempore sumat amor.
 Sic quæ vos junxit semper concordia jungat,
 Nec rumpat vestros mors, nisi sera, dies.

PETRO COLARTIO,

E T

ELISÆ HOFMANNÆ

HActenus innuptæ studiis devota Minervæ,
 Castalidumque sacris dedita Elisæ fuit.
 Hic illi labor, hæc illi fuit unica cura
 In sua dilectas vota vocare Deas.
 Res quoque successit. Claria favere sorores,
 Et facta est sexu fortior ipsa suo.
 Exemploque novo cunctis prælata puellis
 Cœpit in Aonio nomen habere choro.
 Inde Aganippæos animosior illa liquores
 Haufit, & in versus ingeniosa fuit.
 Perspexit, celebres quo cursum egere poetæ,
 Capta lyra Flacci, Pindaricisque modis.
 Duxit inoffensæ sic mollia tempora vitæ,
 Lætæ liberos inter Pieridasque suas.
 Nec notus fuit ullus amor, tædasque perosa
 Decrevit studiis invigilare suis.
 Hæc illi primam firmârunt arma juventam,
 Nec depulsa gradu mens generosa suo est.
 Vidit, & insano Colartius arsit amore,
 Atque alimenta suis ignibus ipse dedit.
 Quid non ingenium, quid non facundia possit?
 Quid non, qui toto pectore regnat, amor?
 Vincitur insolito populante calore medullas,
 Et nuper spreto servit Elisæ Deo.
 Exultat victor Paphia cum matre Cupido,
 Pallas & accensas comprobat ipsa faces.
 Scilicet hanc legera rerum studiosa tuarum.
 Sponse, tibi cecinit voce favente Dea:
 Atque illa te lustantem constanter arena

Victorem fecit læta referre pedem.
 Namque inter vitæ strepitus vitæque labores
 Diceris illius tu quoque castra sequi.
 Ut stupuit te narrantem primordia mundi,
 Et quas Naturæ lingua reclusit opes!
 Ut cuncta hæc salibus Grajis salibusque Latinis
 Sparsa tibi vario sponsa lepore dabit!
 Et suaves addet cantus, & carmina dicet,
 Par quibus ingenio, Lesbi puella, tuo.
 Felices animæ, parili quas igne calentes
 Æterno junxit fœdere mitis Hymen!
 Attollunt voces hæc ad connubia vates,
 Et celebrant plausu gaudia vestra suo.
 Ecce Heliconiades descendunt athere Divæ,
 Et celebrat festum Delius ipse diem.
 His sese adjungunt Charites, Ritusque, Jocique,
 Et Lepor, & molles undique Blanditiæ.
 Ipsaque odoratis Hofmannæ tempora fertis
 Innestit nivea Flora venusta manu.
 Sylvaque vicina, & ludentes frondibus auræ,
 Invitant querulas ad leve carmen aves.
 Inde canunt illæ, & formosæ nomen Elisæ
 Per juga, per valles, deviaque antra ferunt.
 Audiit, & mediis nitidum caput exultis undis
 Spara, & limpidulis lætior ivit aquis,
 Spara per ingenium doctæ celebratus Elisæ,
 Qui nunc ex illo nomine nomen habet.
 Ergo age jam parto victor latere triumpho,
 Et cape militia præmia digna tua.
 Inque tuæ amplexus dominæ (quid vota moraris?)
 I sponse, in liciti deliciasque tori.
 Unde tibi exsurgat lepidorum turba nepotum,
 Qui sint felicitis gloria certa domus,

In Nuptias

CASPARIS COSTER

E T

JACOBÆ WATINIÆ

Dulces Watinæ ardebat Costerus ocellos,
 Et puram frontem purpureasque genas,
 Et pulcri illecebras oris, mellitaque verba;
 Et ferus illius pectus habebat amor.
 Nec spes multa fuit: virgo averfata precantem
 Ignoti sprevit jura superba Dei:
 Nec multum solamen erat. Jam serinia docti
 Versabat frustra nocte dieque chori.
 Nec jam Musarum auxilio Phœbique faventis,
 Nec jam Palladio numine tutus erat.
 Vidit, & indignas cupiens depellere curas
 Descendit summi Cypris ab axe poli.
 Quid longas, ait, infelix, per tædia noctes
 Ducis, & ingratum pectore vulnus alis?
 Ipsa ego virgineos fastus animumque movebo,
 Lenimen luctus grande futura tui.
 Dixerat: experta est virgo, quos riserat, ignes:
 Experta est telis vulnera facta novis.
 Nec mora: contemto pectus succensa calore
 Admisit blandas aure favente preces.
 Protinus unitas stringit concordia mentes,
 Et Paphiæ foedus pacis inire facit,
 Jungere & amplexus molles atque oscula grata,
 Deliciisque frui, quas Hymenæus habet.

Certatim adspirant accensis Numina tædis,
 Et sacrata sua vincula voce probant.
 Ecce suos edit lætus pater Amstelæ plausus,
 Plaudit & è mediis Ya sonorus aquis.
 Sensit Schalbruchius, doctæ laus magna cohortis,
 Auspicium felix nec minus ipse dedit.
 Exultant pariter juvenes pariterque puellæ,
 Et cuncti læta voce Triumphæ sonant.
 Vivite felices sponsi, quos una voluntas
 Unaque conjunxit copula & unus amor.
 Vivite felices, venturorumque nepotum
 Et pulcræ sobolis femina prima date.
 Quæ vos delectent, quæ vos virtutibus æquent,
 Quæ sint florentis spes manifesta domus.

ELEGIA X.

In adventum Veris.

Am redeunt iterum jucundi tempora veris,
 Et læta exornant floribus arva novis.
 Jamque suas tellus vires frondesque resumit
 Arbor, & in gravido palmitè gemma tumet.
 Exultant volucres, & cantibus æthera mulcent,
 Et matutino carmine sylvæ sonat.
 Ecce iterum stabulis exit pecus omne relictis,
 Ecce iterum campos & nova rura petit.
 Pascuntur late virides pectus armenta per herbas,
 Primaque, clausa diu, gramina tondet ovis.
 O mihi si liceat vacuo curisque soluto
 Innocuos læto ducere rure dies,
 Et procul à populi strepitu insanoque tumultu
 Aspectu cœli liberiore frui!

Hæc certe nobis hilararent gaudia mentem,
 Hæc esset nobis sæpe petita quies.
 Tunc mihi dictarent non duræ carmina Musa,
 Et de fonte sacro pocula plena darent.
 Ipsi etiam gratus Placebo tunc dicerer inter
 Non fastiditos nomen habere viros.
 At nunc perpetuo mihi mens distracta labore est,
 Et sub non justo pondere fessâ gemit.
 Et quis adhuc quærat, mihi cur nullo igne calenti
 Assiduo tactum frigore carmen eat?

E L E G I A XI.

Manibus

P A U L I E D I N G I I.

Afflictus dudum morbis Edingius orbem
 Deserit, & pronam tendit ad astra viam.
 Jamque sui desiderio vehemente relicto
 Assiduo luctu pectora nostra coquit.
 Questibus indulget Groninga, & luget ademptum,
 Cumque illo raptam, quam modo sensit, opem.
 Sed mihi quid superest, rerum suavissime Paule,
 Dum tanta cogor parte carere mei;
 Dum te perpetua oppressit mors ferrea nocte,
 O Pylî vitam vivere digne senis!
 Occumbens tecum rapuisti gaudia nostra,
 Et quæcunque mihi grata fuere prius.
 Res me nulla juvat, lacrimas nisi fundere crebras,
 Et frustra nomen sæpe vocare tuum.
 Jam mihi spectatæ ante oculos virtutis imago
 Errat, & irruptæ nodus amicitæ,

Et lepor, argutique sales, candorque, fidesque
 Sincera, & nullo tempore læsus amor.
 Tot bona nunc uno tecum sunt clausa sepulcro.
 Quam gravis est nobis, qui tegit illa, lapis!
 Interea te clara vehit super æthera Fama,
 Et celebrat dotes commemoratque tuas.
 Grataque Pœoniis te dudum Heroibus addit
 Edoctum morbos arte levare malos.
 Ecce adventantem fratrum excipit umbra tuorum,
 Quos parili fato mors inimica tulit.
 Illic tranquillas duces per sæcula lucas,
 Et vitam meritis convenienter ages.
 Edingi, care Edingi, si quis tibi sensus
 Restat, & es nostri post tua fata memor,
 Dilectæ Edingi, monumentum hoc vatis amici
 Accipe, supremum qui tibi dicit AVE.

E L E G I A XII.

A D.

G U L I E L M U M M O L E R I U M

Cum ei poemata sua mitteret.

Ecce liber prodit, populique in luce videri
 Gestit, & è latebris profluisset suis.
 Quem toties votis, tota quem mente petisti,
 Jam desideris annuit, ecce, tuis.
 Nec mora, quam petimus, nobis conceditur ultra.
 Urget amicorum turba, gravisque mihi est.
 Urget & Aonidum ductor Cyrrhaus Apollo.
 Urget, & audaces nos facit ire vias.

Et nunc audemus Livoris spernere morsus,
 Cujus ab assiduo pectora felle virent.
 Quid faciam, Gulielme? Deo parere necesse est.
 Libertas abiit, nec super ulla mihi est.
 Sic, modo quæ nostram capiebant otia mentem,
 Accipies, animo pabula grata tuo.
 Forſan & hæc, fidibus quamvis modulata puſillis,
 Qui legat & laudet, unus & alter erit.
 Forſitan & patriam, cui tu vicinus es, urbem
 His dabitur numeris demeruiſſe mihi:
 Et Moſa, ut quondam, veteri gavifus alumno
 Laudabit foetus ſuſcipietque meos.
 Quicquid id eſt certe, te noſtra incepta probante
 Vela damus, quo nos aura ſecunda vocat.

E L E G I A XIII.

I N O B I T U M

P E T R I B E R N A G I I

E Reptus mundi tenebris Bernagius altas
 Coelicolum ſedes lucidaque aſtra petit,
 Ille Machaonia dudum clariffimus arte,
 Et multa herbarum cognitione potens.
 Ornatus toties quærna de fronde coronis
 Non exorandæ crimine mortis obit.
 Nil tamen efficies: fruſtra tua ſpicula mittis.
 Neq; totus fiet, Mors fera, præda tibi.
 Reddunt vivacem ingenuæ, quas calluit, artes,
 Dantiaque æternum Muſica ſacra decus,
 Et labor occaſus rerum ſcrutatus & ortus,
 Et nivei mores, nec violata fides:

Et quod pacis amans pacis quoque jura colebat;
 Quo titulo nullus dulcior eſſe poteſt.
 At tu, quem mœſti raptum lugemus amici
 Ad ſuperas dignum ſerius ire plagas,
 Humanis feſſus rebus jam pace potire,
 Quam tibi perpetuam donet habere Deus.

E L E G I A XIV.

A D

H U B E R T U M H O P I U M

In Gallias abeuntem.

E Rgo paras, Hopi, peregrinas tendere ad oras,
 Dux ubi Borbonius ſceptra ſuperba tenet.
 Ire paras, firmæ ſedet & ſententia menti,
 Teque retardantis ſers male damna moræ.
 I, precor, alitibus (nec jam tua vota moramur)
 I, precor, alitibus, ſed rediture, tuis.
 I precor, & nullo te Phoebus torreat æſtu,
 Nec te deciduis obruat Auſter aquis.
 Et tibi ſit nullis temeratus nubibus æther,
 Et ſemper puro luceat axe dies.
 Interea dum tu claræ miracula terræ
 Aſpicias, & pedibus Celtica rura teris,
 Formoſus dum te Ligeris magnuſque Garumna
 Detinet, & memorem vix finit eſſe mei,
 Te prece, te votis, exoptatiſſime rerum,
 Et deſideriis proſequar uſque meis.

Speque tui reditus curas solatus amaras,
 Pars animæ, dicam, jam venit ille meæ:
 Meque parans in complexus redeuntis amici
 E dulci promam vina vetusta cado.
 Mox ubi non dubius nostras pervenit ad aures
 Nuncius, atque animo cura fugata meo est,
 Tanta lætitiæ tactus dulcedine mentem
 Exsolvam Reduci munera vota Jovi.
 Et titulum adjiciam, SALVO HOOGSTRATA
 AMICO.
 O utinam nobis fulgeat ista dies!



J A M B I C A .

DAVIDIS HOOGSTRATANI
 AMBICORUM
 LIBER.

I.

A D

ETRUM FRANCIUM.

S C A Z O N.



Enuste Franci, magna curâ Musarum,
 Et cura Phœbi, gloria eruditorum,
 Ut mensa nuper, qua tibi fui junctus,
 Mentem fefellit, ire quæ in leves verius

Debebat, acta spiritu poëtarum:

Quo se moveri sentiunt, ubi Phœbo

Simulque Baccho turgidas habent venas!

Præsente tanto flamine; an deo vatium,

Cantantium præsentem virginum biga,

Quid me impedivit, quidve vota decepit?

Vel quid repente faucium gravi thyrsu

Afflixit, & novo stupore complevit,

Ictuque grandi corpus omne concussit?

Ignosce, Franci. numinis capax tanti

Non nostra mens est. non eas capit flammæ,

G

Quis

Quis tu incalescis, impetuque mirando
 Par Mantuano carmen intonas ori.
 Sic sic stupebam, dum pudor mihi tandem
 Me reddere, & movere Musa se coepit,
 Sed claudicans, & languidos trahens artus,
 Ut lassâ cantu te salutet ingrato.
 Fallorne? an illa nunc valentior facta,
 Me mulcet, atque recreat novo pastu,
 Et sic gravato sufficit novas vires?
 Jam sentio illud. Jam mihi redit vena.
 Et hoc calore, sicut ante, firmatus
 Phoebæ medenti gratias ago, si non
 Phœbi favore Franciique privabor.

I I.

J A N I B R O U K H U S

Albo inscriptum.

S C A Z O N.

Virtutis altæ imago, dotibus raris
 Instruente pectus, sæculi jubar nostri,
 Armate ferro Martio, & tamen facte
 Ad pacis artes, grande literatorum
 Decus virorum, grande laudis exemplar,
 Ocellatum, parque Cynthio nomen,
 Et nos amicis adjici cupis caris,
 Nostræque chartis expetis manus signum?
 En nil moratus obsequor tibi, promptam
 Regente amoris impetu mei dextram.
 Nigras papyro in candida notas scribo,

Sed candidas purissima notas servat
 Mens in tabella, nulla quas dies perdet,
 Usura dum conceditur brevis lucis;
 Beatiorem quam mihi facit foedus
 Sodalitatis dulce, quo tibi jungor,
 Amate multum, amate jure Broukhufi.

I I I.

H E O P H I L O R Y K E W A R D I O ,

Cum Medicorum ordini infereretur.

Id est. latere non solet mens altior.
 Erecta floret, atque in arduas vias
 Se conjicit, labore nullo territa.
 Illustre semen se propagat latius,
 Surgitque in ortus (sic enim decet) suos.
 Nunc excitatur Rykewardii vigor
 Virtute Patris incliti scientiis;
 Qua prole quondam se beatum Rottera
 Existimavit, & superbiit sua
 Felicitate. calcat istam semitam
 Nunc filius, sacrisque Phœbeis vigil
 Et diligens polire mentem nititur.
 Percurrit omne, quod labor Medentium
 Evolvit ingens, quodque naturæ penus
 Miraculosæ detegit cunctis manu
 Semper benigna. Quanta dona te manent,
 Quis evcheris mox ad alta statera,
 Alumne Phœbi docte, Musarum decus!
 Sed restat unum, quo patefcant omnibus
 Doctrina rara, pectori insidens tuo,
 Certamen. en jam vincis adversarios
 Lingua diferta; en Cynthius lauro suâ
 Tua cingit ipse gloriose tempora.

I V.

*In Amœnitates literarias vernaculo
sermone editas*

A

P E T R O R A B

GAudete Musæ, tuque Musarum arbiter
Apollo gaude, & fronde vernanti caput
Tui corona vatis & Mystæ tui,
Amœnitates qui tibi hæc consecrat,
Tuumque nomen auget æternis modis,
Sibique nomen condit æternis modis.
Namq̃ ille doctus tangere argutam chelyn,
Amœnus ipse, amœna scribit carmina,
Lususque molles, quos poëtarum chorus
Miratur, & multis celebrat laudibus.
Audetque plura, & quicquid antiquum tenet
Facunda Roma, aut erudita Græcia,
Describit in perennibus chartis simul:
Et quicquid orbis in sinu fovet suo:
Et quis furor sit vatibus sacris datus:
Quid nostra distent sæculis prioribus:
Quis arte scribat: quisve plene somniet;
Et quos perenni Fama decantet tuba.
Charitum medulla, Rabe, sic scriptis tuis
Firmare perge nomen, & vitæ dies
In plurimis traduc amœnitatibus,
Quas ipsa Mors non deleat telis suis.

V.

In opera forficis

O A N N Æ C U R T E N I Æ.

Miranda forfex, erudita quam manus,
Quam prompta versat, artis inventrix novæ,
Quæ vincit acrem Apellis ipsius manum
Scopæque, quos jactavit olim antiquitas;
Simulare solers chartula vili suo
Quodcunque mundus continet vagus sinu;
Miranda forfex, num rogatu Cypridis
Te duxit ardens officina Mulciber,
Et liberali numine affavit tibi?
An Gratiarum triga consensu pari
Largita dotes est tibi suas, ita
Miraculosas ingeni ut dares notas,
Esset ut invidenda cunctis artibus,
Ut tota jam Natura cederet tibi?
Quicquid profecto, quicquid est istud, bona,
Divina sunt, quæ fingis, humanum nihil.

V I.

Doctrinam vitæ Magistram esse.

I te voluptas blanda doctrinæ tenet,
Si nec laboris abstrahit fastidium,
Constante gressu semitam veræ teres
Sapientiæ & virtutis, & liber metu
Odiæque tristi, cæterisque affectibus,
Palam beatus exiges tuos dies.
Quin liberatus terræ facis lue

I V.

*In Amœnitates literarias vernaculo
sermone editas*

A

P E T R O R A B O.

G Audete Musæ, tuque Musarum arbiter
Apollo gaude, & fronde vernanti caput
Tui corona vatis & Mystæ tui,
Amœnitates qui tibi hæc consecrat,
Tuumque nomen auget æternis modis,
Sibique nomen condit æternis modis.
Namq̄ ille doctus tangere argutam chelyn,
Amœnus ipse, amœna scribit carmina,
Lususque molles, quos poëtarum chorus
Miratur, & multis celebrat laudibus.
Audetque plura, & quicquid antiquum tenet
Facunda Roma, aut erudita Græcia,
Describit in perennibus chartis simul:
Et quicquid orbis in sinu fovet suo:
Et quis furor sit vatibus sacris datus:
Quid nostra distent sæculis prioribus:
Quis arte scribat: quisve plene somniet;
Et quos perenni Fama decanter tuba.
Charitum medulla, Rabe, sic scriptis tuis
Firmare perge nomen, & vitæ dies
In plurimis traduc amœnitatibus,
Quas ipsa Mors non deleat telis suis.

V.

In opera forficis

J O A N N Æ C U R T E N I Æ.

M Iranda forfex, erudita quam manus,
Quam prompta versat, artis inventrix novæ,
Quæ vincit acrem Apellis ipsius manum
Scopæque, quos jactavit olim antiquitas;
Simulare solers chartula vili suo
Quodcunque mundus continet vagus sinu;
Miranda forfex, num rogatu Cypridis
Te duxit ardens officina Mulciber,
Et liberali numine afflavit tibi?
An Gratiarum triga consensu pari
Largita dotes est tibi suas, ita
Miraculosas ingenî ut dares notas,
Esset ut invidenda cunctis artibus,
Ut tota jam Natura cederet tibi?
Quicquid profecto, quicquid est istud, bona,
Divina sunt, quæ fingis, humanum nihil.

V I.

Doctrinam vitæ Magistram esse.

S I te voluptas blanda doctrinæ tenet,
Si nec laboris abstrahit fastidium,
Constante gressu semitam veræ teres
Sapientiæ & virtutis, & liber metu
Odiisque tristi, cæterisque affectibus,
Palam beatus exiges tuos dies.
Quin liberatus terreæ facis lue

Ad astra rectum celsū sustolles caput
 Sublimis, & mortalium exemptus gregi.
 Hæc vera laus est, mente complecti sua
 Pulcerrimarum divitem rerum penum,
 Et promere hinc formare quæ vitam queant,
 Et erudire regulis prudentibus,
 Quæ vera fallis separant bonis bona.

V I I.

Temporis jacturam gravissimam esse.

REs triste damnum plurimæ nobis ferunt.
 Dispendiorum cuncta sed qui cogitat
 Discrimina, assidetque censor sobrius,
 Et illa justo pendit æquilibrio,
 Jactura, dicit, temporis primaria est:
 Fastidiosa sive negligentia,
 Quæ muneris sit perperam memor sui,
 Horæ fugaces frugis expertes eunt,
 Pereuntque totæ: sive perverfus labor
 Nugas capellit, seque consumit, nihil
 Opera recondens sedula dignum. Ruit
 Cursu citato Occasio, frontem gerens,
 Ut comprehendi possit, instructam comis,
 Post calva non tenetur, & semel pedes
 Si concitârit, ut fugæ se subtrahat,
 Plorare serum est. Ludit injectas manus,
 Moræque sægnes arguit turpissimæ.

V I I I.

A D

STUDIOSAM JUVENTUTEM.

ÆState summus si tibi est gravis calor,
 Insanus arva quando Sirius coquit,
 Docilis juvena, deficit vigor tibi,
 Quem studia poscunt. Ast ubi ferox hyems
 Proferre coepit ora, & ingenti gelu
 Adstringere undas, totus ut Septentrio
 Videatur has migrasse in oras, frigore
 Onustus acri, languor obrepat simul
 Animis molestus, adferens damnum grave.
 Ergo morari his torpidis obstaculis
 Coacta pubes, sarcies studio novo
 Hæc damna, ubi aër temperatior redit.

I X.

A D E A N D E M.

Parentibus obediendum esse.

AUctritatem patribus munit Deus,
 Vetatque justæ detrachi observantia
 Lex fixa quicquam. Gratia excipit bonis
 Parere promptos largiter fluentibus
 E fonte sacro, & floridos felicitas
 Præstat penates missa de celso polo,
 Non quæ caduca turbidos ortus habet,
 Sed firma quæ persistit. Hinc cœlum capit

Suos colonos, imbuitque gaudiis
 Haud destrucendis. Ille qui legis metu
 Sacre repulso tendit in contrarium,
 Graves fremantis sentiet poenas Dei,
 Post fata non minora passurus mala.

X:

Sapientiam verae felicitatis fontem esse.

Justum & tenacem consilii sui virum
 Scelerisque purum promouet Sapientia
 Felicitatis omnis ad fastigium,
 Non ambientem gloria vana frui,
 Opibusque fluxis atque honorum insignibus
 Carere doctum. Victor incedit sui,
 Quem Pallas armat. auspice hac sortem premit,
 Ejusque calcat munera audaci pede,
 Et quod cupido sordidus defert sibi.
 Avidum domare spiritum qui sciverit,
 Regnum ille regnis omnibus majus tenet.

X I.

Virtutem ignotam jacere.

Virtus recessu quicquid abscondit suo,
 Oculis patere si daretur, pectora
 Amore miro incenderet mortalium.
 Impellerentur inde, seque nobilis
 Studiis palestra exasciandos traderent.
 Hinc quippe surgit ardor haud inglorius,
 Erectioris fomes acer spiritus,
 Amorque famae feruidus, quae talibus
 Curis reponit non caducum praemium.
 Virtus sed aestimata pretio non suo
 Vilescit inter terreae res indolis.
 O inficeti temporis socordia!

X II.

X I I.

Omnibus ad virtutem aditum patere.

Virtus recludit omnibus sacrarium,
 Et a palestra neminem excludit sua,
 Qui gaudet exerceri rebus bonis,
 Feruente ductus gloriae cupidine,
 Ad posteros transire quae seros queat.
 Qui non movetur praemio tam nobili,
 Debet vocari degener, nec dignus est,
 Veneranda virtus quem suo adscribat gregi.
 Nam pondus is telluris exigit dies,
 Nec mortuus relinquit ullam gloriam.

X I I I.

Constantia in adversis.

Virtutis altae viribus qui nititur,
 Immitis audet tela sortis spernere,
 Nulloque victus sevientis impetu,
 Ad astra celsa tollit erectum caput:
 Nec ille plagas sustinet minus datas,
 Quam palma ferre pondus inpositum solet,
 Quae recta perstat, nesciens procumbere,
 Et altiores pressa radices agit.
 Constantiae est calcare fortunam pede.

X I V.

In novi anni initio.

Cursum peregit annus elapsus suum
 Fuga tacente, sed parum feliciter,
 Reddenda nostrae ratio si vitae foret.
 Si quisque verset sedulo examen sui
 Censor severus, obvios testes dabit,

G 5

Con-

Convincier quis possit, ignave dies
 Sibi perisse, frugis expertes bonæ,
 Seseque recto deviasse tramite,
 Turpemque sparsam moribus suis luem.
 Sed cum novatum solis exorti jubar
 Jam promat annum, spes & apporet novas,
 Majore sese alacritate fuscitet
 Virtutis ardor. Quisque defectus suos
 Refarciamus: splendeant mores novi
 Post expiatum temporis contagium,
 Quod nunc dolemus, fera poenitentia
 Ne nos fatiget irritis doloribus.

X V.

Vita & floris comparatio.

UT flos in horto pulcer aspectu, suo
 Nitore pascit lumina intuentium,
 Et gratiosa detinet fragantia,
 Cum mane primo ridet exortus dies,
 Sed sole sero in pulverem ruit, suo
 Orbus decore, pristinaque gratia:
 Sic vita nostra est. illius vigor perit,
 Cum tristis ægritudinis lues venit,
 Aut cum senecta obrepit infirmo pede
 Effœta tandem, & inficit nobis comas.
 Quid te ergo mentis inflat elata tumor?
 Spem summa vitæ nos brevis longam vetat
 Agitare: & ætas aufugit loquentibus.

X V I.

Primam ab Adamo labem ad posteros transivisse.

PRimo parente nata quæ fluxit lues,
 Mortalium hæret fixa fibris intinis,
 Negans revelli, discutique nescia.
 Hic fundus, unde fertili propagine
 Peccata foeda ivere per cunctas domos,
 Ut nulla vitæ pars ab his sit libera.
 Per bruta te circumfer omnia, & nota,
 Uti quotannis multa veteris exuant
 Pellis senectam, seque muniant nova,
 Renoventque pennas, atque permutent pilos.
 Homo per omnes fordium raptus modos
 Errori inhæret, moris antiqui tenax,
 Mala illecebræ perditus dulcedine.

X V I I.

*Memoriam nostræ originis incitamentum esse ad
 Virtutem.*

CUm de supremo originem ducas polo,
 Quid immoraris rebus hic inanibus?
 Quid forma mundi detinet te lubrica?
 Potius in ortus surge, mortalis, tuos,
 Regnantium nec obstupefce purpuram,
 Nec ambitum fallacium clientium,
 Pompamque, vulgus imperitum quæ tenet.
 Hæc cuncta celsò ridet in fastigio
 Sapiens locatus, patriamque cogitat
 Humi morari nescius, soli Deo

Intentus, orbis qui creavit machinam,
Opusque vastum numine aeterno regit,
Nostramque mentem fecit assimilem sui.
O quisquis illam sic gubernat, ut supra
Opes, honores, atque vana cætera
Consistat, ille sequitur auctorem Deum.

X V I I I.

Majorum virtutes posteris exemplo esse.

Virtus parentum, & fama par virtutibus,
Monet nepotes, atque seros posteros,
Splendoribus respondeant domus suæ,
Illos & ausis augeant insignibus,
Fucorum adinstar ne suæ genti ferant
Injuriam, turpisque delicti notam.
Sic ardor ille heroicus non spiritum
Remittet umquam, consciusque originis,
Labore spreto celsa quævis appetet.
Quicumque nudis fretus est nitoribus
Stirpis vetustæ, nilque dignum laudibus
Meditatur ipse, degener vocandus est.
Namque ille sese defidi affigens solo
Vivum cadaver ambulat, torpens gravi
Totus veterno, donec hinc inglorius
Tenebrisque densis tectus ad plures abit.

X I X.

A D

STUDIOSAM JUVENTUTEM.

De vitanda ignavia.

Incumbere æquis ut potest laboribus,
Quos fors cuique destinat mortalium,
Humana mens, suisque curis fungitur:
Sic occupari tota si debet, vices
Nec experitur, unde lenimen queat
Haurire, sentit plurimum fastidii,
Et blandientis otii solatium
Efflagitat, quo fessus exurgat vigor.
Ignavia autem si placere cœperit,
Peccata crescunt uberi propagine,
Et castitati subruendæ militant.
Quicumque vestrum semitam rectæ volet
Virtutis ire, vitet hanc morem luem,
Pestem nefandam, criminumque fabricam.
Reges & urbes otium pessum dedit.

X X.

Peccatis hominum iram divinam provocari.

Crevere tanta ubique multitudine
Peccata mundi, & foeda criminum lues,
Ut ira læsi iusta se prodat Dei,
Pœnasque poscens impio incumbat gregi.
Hinc pestis alto missa de cœlo ruit,
Et cladibus grassatur infandis: fames

Hinc dira gentes vexat: hinc Martis furor
 Cruore gaudens, anxiiſque matribus
 Abominandus impetu ſevit fero
 Oras per omnes, & labores ruſticos
 Sternit, trahitque tota cum ſtabulis ſuis
 Armenta, & implet cuncta queſtibus loca.
 Nec finis ullus: pergimus culpæ rei
 Redintegratæ tuere per vetitum nefas,
 Odiſſe verum improvidi, & ſanctam fidem,
 Fraudeſque amare & perditas libidines.
 Eheu quid ultra eſt? Tempus eſt retro pedem
 Tuliſſe, & invocari vindicem Deum,
 Ut parcat iræ, tamque foedis noxiis
 Ignoscat. o clementiæ fons unice,
 Miſerere noſtri, & lenibus ſolatiis
 Nos erige, atque libera terroribus,
 Qui noſtra turbant corda noctes & dies.
 Ut labe puri criminum, & vitæ integri,
 Vanis relictiſ rebus atque inanibus,
 Deſideremus te, Deus, ſolum & tua.



L Y R I C A.

DAVIDIS HOOGSTRATANI
 LYRICORUM
 LIBER I.

O D E I.

Se Phyllidis laudibus canendis esse imparem.



Audabunt alii victricia Principis arma,
 Et virtute ingentia capta
 Mœnia, & adjicient strages cœdesque cruentas.
 Me diversa sonare juvabit.

Me nec percutiunt tam fortis robora dextræ,
 Nec Mavortis prælia duri;
 Quam dulces oculi, quam frons, quæ purior omni
 Marmore mentem detinet omnem,
 Quamque os dulciloquum, pectusque, genæque rubentes:
 Me divinæ gratia formæ
 Subducit mihi: me concepti corde calores
 Solam Phyllida dicere cogunt.
 Sed dum carmine dilectam nimiumque cupitam
 Pro meritis celebrare laboro,
 Spes mihi mista metu magno dilabitur omnis,
 Atque leves vanescit in auras.
 Scilicet humano cantari nolit ab ore
 Par cœlestibus illa Deabus.
 Huic operi vestrum est, huic indulgere labori,
 O sanctissima turba, Camœnæ!
 Hæc vobis cantanda, Jovis quæ digna favore
 Invidiam meruit Cythereæ.
 Haud opis est nostræ canere hanc, quæ Cyprida vincit
 Vultu insigni, & dotibus altis.

O D E II.

D E E A D E M.

Se ejus amore uri.

IN me totus Amor suas
 Vires exeruit, totaque pectora
 Mollis flamma vorat mihi.
 Eheu assiduis uror ab ignibus!
 Me totum mihi surripit
 Ardentem facies Phyllidis aurea,
 Et frontis nitidum decus,
 Vivacesque oculi, sidera lucida.
 Eheu spicula quæ meis
 Hærent visceribus! quis mihi temperat
 Spem nuper validam metus!
 Virgo, fiderei deliciæ poli,
 Virgo, deliciæ mea,
 Tandem, cara, meis pone doloribus
 Finem, & tristitiæ gravem,
 Quæ de nocte facit me gemere & die.
 Si serves animam meam,
 Quæ fors, Phylli, mea forte beator?

O D E III.

P H I L I P P O F R I E S T I O,

E T

M A G D A L E N Æ B R U I N V I S.

Quid hora cessas, quæ rapidis rotis
 Curris per omnes præcipitans dies?
 Quid gaudium optatum moraris,
 Improbæ, lætitiæque Sponsi?

Ah hora, tandem curre citatius!
 Redde expetitæ tempora vesperæ.
 Ah conde vultum, Phœbe, conde!
 Cede locum nitidæ forori;
 Sponsum favore ah prosequitor tuo,
 Qui corde languens uritur intimo,
 Sponsam & tenellam. En ardet ipsa:
 Illius en amor est medullas.
 At hora venit, gaudiaque attulit
 Sperata tandem, donaque Cypridis
 Turbanda jam nullo dolore.
 Attulit & placitos lepores
 Risusque molles. Currite, currite,
 Sponsi beati, ad tanta levamina
 Laboris & curæ voracis,
 Quis hominum scætet usque vita.
 Abite Sponsi: Carmina non mea
 Vos detinebunt, auspiciis bonis
 Precata vobis faustitatem,
 Et nitidos sine nube soles.
 Bellate sponsi, & dulcia prælia
 Pugnate semper multiplici modo.
 Hinc sponsa vincat, vincat inde
 Sponsus, ut assiduos triumphos
 Ferant uterque. O tempus amabile!
 Exlex voluptas addere quid potest?
 Sint gaudia hæc illæsa semper,
 Dentque brevi lepidos nepotes.

O D E I V.

HADRIANO HOUTENO,

E T

PHILIPPINÆ MUNKERÆ

Sponsis.

EXpertus nuper fluxos Houtenus amores
 Decreverat vitare virginum choros,
 Exosus genus invisum, fraudesque dolosque,
 Sævafque curas & dolores anxios.
 Ergo ad Piëridas rediens solitosque labores
 Discussit hæc venena mente provida.
 Consilium contemfit Amor, celerique sagitta
 Trajecit istud cogitantis pectora.
 In flammæ abiit rursus; rediere dolores,
 Insomniumque tormina atra noctium.
 Jamque per Harlemios campos & devia rura
 Errabat ictus vulnere infelix novo:
 Et frustra gemitus, frustra suspiria tristi
 Permista fletu duxit imo pectore;
 Donec amatoris casus miserata Dione
 Dulci dolentem leniit solatio.
 Ecce Deæ monitu Munkera arrisit amanti,
 Et arsit, unum vulnus in venis alens.
 Junguntur sponsi, doctorum sanguis uterque,
 Celebrantque festum Virgines novem diem.
 Felices maneant ambo, factique parentes
 Docta beatam prole fulciant domum.

O D E V.

Angitur PHYLLIDIS desiderio.

Quando erit, ut dulci conjunctus fœdere tecum,
 Te, cara Phylli, perfruar?
 Quando erit, ut detur tristes finire dolores,
 Quis differor medullitus?
 Non tibi sunt duræ ferri de femine venæ,
 Nec pectus est tuum silex.
 Nec tibi crudeles admôrunt ubera tigres,
 Nec protulit te Caucasus:
 Sed genetrix, grata quæ te dulcedine morum
 Formavit assimilem sui.
 Cur igitur pereo? miserum cur spernis amantem,
 Odioque prosequeris truci?
 Parce, precor, dicarque tuo vixisse favore,
 Et esse redditus mihi.
 Sic te Cypris amet semper, Charitesque decentes,
 Et augeant dotes tuas.

O D E V I.

A D

P H Y L L I D A.

Formam virtute decorari.

Quæ mens est sceleris conscia nullius,
 Sed morum nivea fulget imagine,
 Virtutisque terit sedula semitam,
 Immortale gerit decus.
 Hæc, Phylli, exsuperat purpureas genas.
 Hæc longe exsuperat labra corallina,

Atque astris oculos Oebalii pares,
 Et frontis teneræ nives.
 Quicquid corpus habet, deficit indies,
 Et vanæ species prætereunt pede
 Veloci. Haud sapiat, qui breve gaudium
 Longis anteferat bonis.
 Sed nil gratius est, nil speciosius,
 Quam si forma decens, quæ tibi contigit,
 Et virtus propriis freta coloribus
 Incedunt parili gradu.

O D E V I I.

FRANCISCO ZWANEVELDIO

Sponſo.

Nunc votis, Franciſcæ, tuis Cythereia mater
 Afflavit, & volucris puer.
 En venit illa dies, qua factus ponit Elifa,
 Fastidiumque pertinax.
 Jamque pari tecum pectus succenſa calore
 Te blanda reſtituit tibi.
 O felix longe ante alios, mille ofcula junte,
 Et juncta poſt mille ofcula
 Diſce tuæ in gremio nova bella movere puellæ,
 Ut inde victorem Venus
 Ornet, odorata & cingat tua tempora myrto.
 Sic mutuis in gaudiis
 Te precor ut faciat proles numeroſa parentem,
 Tuamque proſperet domum.

O D E V I I I.

In diſceſſum

G L Y C E R Æ.

Telluris Batavæ decus,
 O urbs Amſtela, ô nobilis urbium
 Regina, illecebris tuis,
 Per quas attonitos pereuntis hospites,
 Diſceſſu Glyceræ cares.
 Non jam me capiunt ſtrata nitentia,
 Non jam frontibus ædium
 Qui fulget varia ſplendor imagine.
 Omnis jam periit tibi,
 Qua cunctos recreas, Amſtela, gratia, &
 Sordent deliciæ tuæ.
 En nymphæ lacrimas & gemitus cient,
 Nec deſiderium ferunt
 Dilectæ ante alias triſte puellulæ.
 Dulcis turba Cupidinum
 Te jam deſeruit, te Venus aurea,
 Et ſuaavis Charitum chorus.
 Non ultra tepidis fota Favoniis,
 Languent tota roſaria.
 Mcerent aſſiduis læſi Aquilonibus
 Horti, duraque frigora
 Ingratam fluviis injiciunt moram.
 Nec ſolis jubar aureum
 Vincitos expediat, cum Glyceræ jubar
 His ſe proripuit locis.

Ah cursu celeri, cara, revertere,
 Omnes præcipitans moras:
 Ut cursus redeant fluminibus sui,
 Hortis ut redeat nitor,
 Ut rursus vigeant læta rosaria;
 Ut dulcis Charitum chorus,
 Et ridens Venus, & turba Cupidinum
 Desertum repetant solum.
 Poscunt assidua te prece virgines,
 Te votis pueri vocant.
 Urbi namque potes reddere patriæ
 Et lucem & solitum decus.
 Cum vultu æthereo cuncta animaveris,
 Fulgebunt melius dies.
 Plausus lætitiæ surget ad æthera,

O D E I X.

Deliam duritia incusat.

I Mis medullis uror, & jecur meum
 Liquefcit igne torrido.
 At igne nullo pertepescit Delia,
 Teloque tacta plumbeo
 Secura ludit heu meos casus graves,
 Curaque, quæ me differunt.
 Ah mitte tandem, Delia, hanc superbiam,
 Altumque pone spiritum.
 Perire flammis, dura, me vides meis,
 Lentaque tabe confici.
 Rupisque adinstat, ira quam tundit maris,
 Immota perfas, nescia

Precebus moveri. Dura, formosum tege
 Vultum, si amari non cupis,
 Et abde cuncta, quæ movere me queunt.
 Erras, Amante si putas
 Nomen futurum de triumphato tibi.
 Nam mitibus de moribus
 Animoque miti provenit meritas honor.
 Resipisce tandem, Delia,
 Ne te fatiget sera poenitentia,
 Tristis senectus cum rosas
 Istas genarum tollet atque oris decus.
 Amare disce, dum vigeat
 Tibi juventus. Labitur cito pede
 Revocabilis nulla prece.

O D E X.

Deliam sibi pro Musa futuram.

V Alete Musa, Numina inania,
 Valere lauri, fertaque Delphica
 Mi myrtea crines corona
 Ætherea implicuit Dione.
 Valete Musæ, cum mihi pectinem
 Argutiorem Delia temperet.
 Me molliores illa cantus,
 Me fidibus docuit canoris
 Sonare, pronis quod bibat auribus
 Primis juventus tacta caloribus:
 Mentemque præceptis sequacem
 Illa mihi facilis polivit.

Hinc bella fortis canto Cupidinis,
 Facesque & arcus: hinc ego lumina
 Genasque, candentemque frontem,
 Quae teneras decorant puellas.
 Per te poëtis, Delia, misceor,
 Turbaque monstror prætereuntium;
 Meumque crebro dicta cantu
 Amplificas celebrasque nomen.



123

DAVIDIS HOOGSTRATANI
 L Y R I C O R U M
 L I B E R II.

O D E I.

FRIDERICO AUGUSTO II.
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
 FRIDERICI AUGUSTI I.
 ELECTORIS SAXONICI,
 N U N C
 P O L O N I Æ R E G I S,
 FILIO PRIMUM GENITO,
 G E N E T H L I A C O N.

Feroës, superum propago, clari
 Heroës, rutilo polo recepti,
 Virtus Martia quos celebrat, olim
 Late conspicuos honore multo,
 Insignes titulisque laudibusque;
 Eia cernite parvulum nepotem
 Implentem aëra fletibus tenellis,
 Pignus grande faventium deorum:
 Eia nascitur aspicitque lucem,
 Et refert facie suos parentes:

Sed

Sed virtute, sed arduo labore
 Duræ militiæ, artibusque pacis
 Hos olim referet. Vigore quanto
 Ocelli radiant genæque dulces!
 Ut gaudet modo Dreſda, verticemque
 Tollunt ætheriæ sub aſtra turres!
 Ut gaudet modo Miſnia univerſa!
 Ut Germania nunc triumphat omnis!
 Illuſtres animæ polo receptæ,
 Aſpirate mihi diem canenti,
 Qua non gratior ulla fulſit umquam.
 En, en auguror. Iſta frons decora,
 Hic vivus color, hæ roſæ genarum
 Omen indolis exhibent futuræ;
 Qua vobis ſimilis Patrique magno,
 Forti pectore, ſtrenuaque dextra,
 Viſtor magnificos aget triumphos.
 Talem Græcia læta prodeuntem
 Vidit Caſtora luminis ſub oras,
 Alcmenaque ſatum; decuſque Trojæ
 Talis extulit Heſtor ante vultus.
 Hic eſt, qui Patriis decorus armis
 Contundet Geticas brevi catervas.
 Lunæ cornua Theſſalæque franget.
 Hic eſt, per gladios ruens & ignes
 Qui Celtæ rabiem trucis domabit.

Salve parve puer, puer Parentum
 Longæ deliciæ, tenelle ſalve,
 O cœli labor! ô amor deorum!
 O deſiderio petite multo!
 Gratantum ſonus & tibi faventum
 Implet compita læta. Te futurum
 Tui præſidium decuſque ſæcli

Clamant omnia & omnia augurantur;
 Natalemque tuum ſecundat æther.
 Creſce, ſpes patriæ ſaluſque, creſce.
 Felix creſce puer, favente cœlo
 Dum Patris folio ſedebis olim.
 Te naſcente Pudor, Fideſque cana,
 Et Fas, & Pietas, Amorque recti
 In terras redit, aureique ſoles.
 Te naſcente viget renata tellus,
 Quam, fœdis Aquilonibus fugatis,
 Demulcent animæ Favoniorum.
 Te naſcente novi repente lactis
 Eunt flumina, neſtarisque fontes.
 Felix creſce puer, tenelle creſce
 In dotes genitoris, atque Matris,
 Quam Candor, Pietasque vera, numquam
 Inventura parem, Benignitaſque
 Diſ miſcent ſuperis, locantque olympto.
 Felix creſce puer, novosque plauſus
 Diſce noſcere Saxonum tuorum,
 Et tot millia gratulationum.
 Et dum, ſepoſitis ubique curis,
 Adſunt agmina feſta Gaudiorum,
 Dum læto tibi ridet ore Mater,
 Riſu noſcere diſce & ipſe matrem.

O D E I I.

Viro amplissima dignitatis

D I D E R I C O B A

Urbis Amsteladamenfis secundum Consuli.

DUm vota pofcit omnium hic honor novus,
 Recensque parta dignitas,
 Silere Mufas lata nec finit dies,
 Se civibus plaudentibus
 Thalia noſtra jungit, & voces pias
 Plaufusque continuat ſuis.
 Inſignibus te rurfus auctum faſcium,
 Et Conſulari purpura
 Omnis celebrat civitas, & debitis
 Te proſecuta laudibus
 Non parva ſentit gaudia, & FELICITER
 Late ſonat per compita.
 Nitere ſol videtur ipſe clarius,
 Et ire grator dies.
 Debetur hæc virtutibus merces tuis,
 Debetur hæc conſtantia
 Et æquitati, quæ tuum pectus tenet.
 O faxit, o faxit Deus,
 Magnanime Conſul, ut tibi dies fluant
 Semper beato candidi:
 Ut jam reducta pace non fallax Fides
 Firmetur & Concordia,

Concordia, hoc gratata quæ decus tibi
 Seſe applicat lateri tuo;
 Tuifque depellatur auſpiciis procul
 Fraus omnis, & Diſcordia.
 Sic ſic fruaris, ſerus in cœlum redux,
 Conſtanti amore civium.

O D E I I I.

P E T R O F R A N C I O.

Invitat eum ad Natalem uxoris ſua celebrandum.

NAtalis rediens meæ Maria
 Poſcit debita vota: poſcit ima
 Fuſas mente preces: ſed & moleſtas
 Jubet ſollicitudines valere,
 Et graves animo avolare curas,
 Quas leves rapiant Noti per undas.
 Hujus ſi faveas ſacris dici,
 Franci candide, jure amande Franci,
 Franci jure colende, quo ſodale
 Multum gaudeo, gloriorque multum,
 Huc gradu propera celer citato:
 Et mecum bona verba, fauſta mecum
 Vota concipe, tetricasque curas
 Dulcis muneribus fuga Lyxi.
 Hoc te per Genium tuum, tuasque
 Oro per Veneres, tuasque Muſas.
 Libemus dominae meæ ſaluti,
 Et pro ture pio, hanc decente lucem,
 Volvamus calidos Nicotianæ

Fumos, quæ gravis aura corrigatur,
 Aura corporibus nimis molesta,
 Quæ languere facit meos Phalæcos.
 O gradu propera celer citato,
 Vatum floscale, corque Gratiarum,
 Comes Broukhufio tuo meoque.
 Sic sic alitibus tibi fecundis
 Natalis redeat, vchatque secum
 Felix innumeras beatitates.
 Sic constet tibi fama, quæ volando
 Numquam fessa tuum ferat per orbem
 Nomen, cui stimuli nihil nocebunt
 Funestæ invidiæ, malæque linguæ:
 Cui nec barbaries nocebit ipsa,
 Quæ nunc tartareis latens cavernis
 Te vexat stolidæ dicacitate,
 Eructans tumidæ venena mentis,
 Et te vulnificis premit libellis.
 Sic illam superes favente Marte,
 Et virum volites per ora victor.

O D E I V.

J A N O B R O U K H U S I O

Natali ejus die.

CUr quæ materies optima gaudii
 Te mulcere solet suaviter hoc die,
 Obscufata tibi est nube molestiæ,
 Broukhuffi, Aonidum decus?
 Cur Pax alma redux alite prospero,
 Summo lapsa polo, grataque Faustitas,
 Quæ ditant populos læta per oppida,
 Sunt foli steriles tibi?

Hæc est illa feri injuria temporis
 Infesti ingenii. Talia præmia
 Sacræ culta diu Numina Phocidos

Cultori tribuunt suo.

Nos autem, quibus hic sol facer est, tamen
 Sertis floriferis tempora cingimus.
 Et quod te fruimur, care, superstitute,
 Votivos trahimus scyphos.

O D E V.

C O R N E L I O J U N I O

Ægrotanti.

Dilecte Juni, longus usus quem mihi
 Conjunxit, & constans fides,
 Me morbus ille, qui tibi jam viscera
 Depascitur medullitus,
 Me morbus ille affigit, & tuus dolor
 Mihi dolorem concitat.
 Sed nec dolorum turba me tantum premit,
 Nec lenta febrium cohors,
 Quibus gravaris, quæ tibi sitim movent,
 Ut tota poscas flumina,
 Quantum jacere mente quod te conspicio,
 Hac luce vitali frui
 Infanientem. Dulce, amicorum decus,
 Te vivere est certe mihi,
 Mecumque lætos ducere, ut quondam, dies,
 Stringente nos arcta fide.
 Est dulce, Juni. at imperator si Deus
 Te linquere has terras jubet,

Te linquere omne , quod fuit gratum prius,
 Parere promptus haud eris?
 Ubi pectus illud preparatum casibus
 Cunctis ferendis? aurea
 Ubi monita, ore lapsa quæ quondam tuo
 Sapientiæ signum dabant?
 Ubi illa tam virilis est constantia?
 Depulsus hoc unde es gradu?
 Si nauta sævis obruatur fluctibus,
 Jactatus irato mari,
 Ardentibus nil expetit votis magis,
 Vehementius nihil cupit,
 Quam liceat ut videre patriæ focos,
 Portuque tranquillo frui.
 Quid vita nostra est? quid nisi infidum mare
 Fœdis procellis turbidum?
 Mors sola portu nos locat, sola anxiiis
 Nos eximit doloribus.
 Quid umbra fraudulenta te, miser, tenet?
 Quid somniis inanibus
 Mentem implicatam detines? Deus, Deus
 Ad altiora te vocat,
 Humoque tollit. Terræ fœcis lues
 Ne te moretur amplius.
 Jam jam evolabis liber omni pondere
 Ad astricas sedes, ubi
 Turbanda numquam senties mox gaudia
 In cœlitum cœles choro.

O D E VI.

JOANNI GORISIO.

Natalem ejus celebrat.

O quem laborum jam premit indies
 Onus molestum, cui vacuæ neque
 Horæ supersunt, quem camœnis
 Nec mihi fas temere morari;
 Paulum severas, invigilas quibus,
 Te pœne totum quæ sibi vendicant,
 Omitte curas, quis caduca
 Atteritur rapiturque vita.
 Exsolve frontem. Festa dies tibi
 Exorta, amice, est alite prospero,
 Precesque secum & vota ducit,
 Quæ parili renovamus ore,
 Quotquot salutis solliciti tuæ
 Ut usque felix vita fluat tibi
 Cœlum fatigamus precando,
 Et veteris calices Lyæi
 Haurimus in spem perpetuam, gravi
 Cura soluti, pectore libero.
 Hac luce, jucundi sodales,
 Lætitiæ date frena vestræ.
 At tu favorem fidereæ domus
 Expertus amplum tot frutor bonis
 Non forte fœdatis iniqua,
 Et mihi materiam canendi,
 Decus virorum, suppedita novam,
 Dum fama crescit Palladis Amstelæ,
 Fugaque dilapsæ novenæ
 Huc redeunt, duce te, sorores.

O D E V I I.

P E T R O F R A N C I O

pro Aristophane commodato.

EN Aristophanem tuum venustum,
 Et dulcedine mellea madentem,
 Grajarumque patrem facetiarum,
 Quales Cynthius atque amica Pallas,
 Quales triga tibi dedit Dearum,
 Clare carminis artifex Latini,
 Clare carminis artifex Pelasgi,
 Franci, gloria nominis Batavi.
 Is demum, laribus meis relictis,
 Petit scrinia nota, seque notis
 Gestit jungere, sicut ante, libris.
 Sed cum jam fuerit tibi receptus,
 Et sedem sibi legerit priorem,
 Interpres maneat tibi mearum,
 Quas, Franci, tibi solvo, gratiarum.

O D E V I I I.

J O A N N I G O R I S I O.

In novi anni initio.

AMice sacro Piëridum choro,
 Amice nobis, sic abeunt dies,
 Citisq; devecti quadrigis
 Diffugiunt, velut aura velox.
 Sic ver & æstas, sic variant vices
 Autumnus atque immitis hyems suas:
 Tempusque dilapsum sefellit
 Spes hominum male providorum.

Humana sic sunt, nebula candidis,
 Et mista lætis tristitia, nil datum est
 Mortale firmum, cuncta passim
 Intereunt celeri ruina.
 Hoc te tuorum funera tristitia,
 Domusque vestræ damna docent nova,
 Et fata notorum dolenda,
 Quos rigidæ rapuere Parcæ.
 Hoc acta multis patria casibus,
 Quis ingemiscit, patria libera
 Valensque quondam, nunc cruenti
 Ludibrium spoliumque belli.
 Hos inter æstus ipse tuam soles
 Firmare mentem, & docta volumina
 Lustrare cura pertinaci, &
 Divitiis inhiare veris.
 Sic sic tuetur te vegeta Deus
 Ætate firmum, & viribus integrum,
 Annique crescentes, molestos
 Non tibi diminuunt labores.
 His spiret Æther flamine prospero,
 Qui largus annos perpetuet tibi,
 Dum pura te virtus incerti
 Tollat humo superas ad oras.

O D E I X.

J O A N N I L U N I O

filiola mortem immodice lugenti.

ERepta tandem est. Sic placuit Deo,
 Qui nostra justo examine temperat,
 Urbesque terrasque & profundum
 Imperio moderatur æquo.

Quid ergo lugens flebilibus modis
 Sic tranſeuntem ad fideream domum,
 Hoc orbe vano liberatam,
 Et meliore loco receptam?
 Qui cuncta donat, quis fruimur, Deus,
 Et illa rurfus, cum libet, eripit,
 Is proſpiciit noſtræ ſaluti,
 Conſilio ſapiens perenni.
 Quid hic moramur? quid fragili bono
 Inſtamus acres? omnia deſtruet
 Mors, pauperi ſimul colono &
 Purpureo metuenda regi.

O D E X.

P E T R O R A B O

obitum filiola ſua lugenti.

Sic fata raptant omnia. quid gemis,
 Amice, fruſtra? parce doloribus
 Nil profuturis, parce tandem
 Aſſiduos iterare fletus.
 Non curat iſtos ſæva neceſſitas
 Lethi cruenti, non ſatiabilis,
 Si flebili prorſus ruina
 Intereat ſpatioſus orbis.
 Et me meorum fata premunt diu.
 Sed læta miſcens flebilibus Deus
 Levavit hunc luſtum, & reduc̄ta
 Lætitia pepulit dolores.
 Jam ludit aula filiulus novus,
 Et mœſta mulcet corda parentium.
 Amice, cur inſlic̄ta tandem
 Vulnere non pateris cōire?

O pelle nubes triſtitiaæ tuæ,
 Jucunde vates, cui Sapiencia
 Præcepta dictavit verenda,
 Atque animo dedit eſſe magno.
 Lenes medelas illa dabit tibi,
 Polite Rabe, & læta levamina
 Mœroris ingrati. Acquiſce
 Conſiliis ſapiens olympi.

O D E X I.

Filiolum immatura morte ſurreptum deſlet.

Puer parve, parentium tuorum
 Breves deliciaæ, puer, voluptas
 Et conſtans amor omnium, cruentis
 Tene mors quoque perdidit ſagittis?
 Extinxitque roſas tuis rubentes
 Genis ſuaviter, invidenda qualis
 Aurora in roſeis rubet quadrigis;
 Et clauſit ſimili furore ſæva
 Bino fidere lucidos ocellos?
 O fatum nimis ah nimis ſeverum!
 O puer nimis ah nimis dolende!
 At tu, care puer, quieſce tandem
 Curis liber ab omnibus, parentem
 Infeſto agmine quæ tuum fatigant.
 Te non invidia latens venenum,
 Non calumnia virulenta lædit.
 Te non dura nimis nimisque iniqua
 Sors actum variis premit procellis.
 Te non barbaries ſtupenda, te non
 Ignorantia craſſa, quæ politis

Dura est ingeniis, beate, vexat,
 Ter beate puer, quiesce tandem,
 Receptus meliore sede, liber
 Malis omnibus, onanibusque curis,
 Et jugi potiens beatitate.

O D E X I I.

G U L I E L M O M O L E R I O

Cum Medicorum ordini adscriberetur.

Sic favit precibus tuis Apollo.
 Sic favit precibus tuis Minerva,
 Dilectæque tibi novem sorores,
 Magna pars animæ meæ Moleri!
 En adest decus, atque honor cupitus,
 Et laurus Medica, & tropæa, parta
 Virtute assidua, & labore magno,
 Et quicquid poteras habere laudis,
 Et quicquid poteras habere præmii.
 Ergo exporrige nunc, amice, frontem,
 Et curas abige, & graves dolores.
 Jam te lætificant tui labores,
 Quos Musis teneris dedisti ab annis,
 Quæ sic condecorant suos alumnos.
 Sed per præmia tanta, per triumphos
 Istos ibis ad altiora longe,
 Tentabisque periculosiora,
 Cum mortale genus, malis laborans
 Morbis, consiliis tuis juvabis,
 Idemque auxiliis tuis levabis,
 Nascentem perimesque victor Hydram.

Sic pestis fugiet, malæque febres,
 Et quicquid comitum est maligniorum.
 Quanta gloria crescet arte tali,
 Dum studes patriæ tuæ saluti!
 Accrescet decus atque honor cupitus,
 Crescēt agmina tota gratiarum,
 Quas solvet tibi liberatus æger.

O D E X I I I.

J O A C H I M O T A R G E R I O,

Cum Medicina Doct̃or renunciaretur.

ORhene, dudum nominis incliti,
 Qua latus amnis præfluit urbium
 Muros, inoffensoque fluxu
 In Batavum mare volvis undas;
 Inter Camœnas qui celebrant tuas
 Agnosce mystam, Rhene pater, novum,
 Qui territus nullo labore,
 Et calidus meliore flamma
 Mentem ad supremum dirigit æthera,
 Nec lubricarum ductus imagine
 Rerum, triumphalem coronam
 Accipit, & meritos honores.
 Agnosce docto Targerium choro
 Junctum, venusta quem Charites manu
 Finxere, quem Pallas tenellum
 Imbuit æthereo liquore:
 Cui favit ultro Cynthius, & sua
 Favore largo quem docuit sacra,
 Herbasque succorumque vires
 Scire dedit variosque morbos.

Hac arte nixus docta volumina
 Legit Medentum, & quod veterum labor,
 Recentiumque haud vanus ardor
 Eruit è latebris profundis.
 Quin & stupendi viscera corporis
 Lustravit, almi dextera quæ Dei
 Miraculis ingens replevit,
 Noscere seque dedit creatis.
 Jam poscit illum nobilis Amstelæ,
 Jam Merva poscit, terraque patria,
 Et ripa, qua mecum solebat
 Dulcifonas agitare chordas.
 Applaudit isti Raius omni,
 Et gesta recte iudicio suo
 Probatque, collaudatque lætus
 Ausum animi merito virilem.
 Hæc jure magno gaudia duplicat
 Vallanus, almi natus Apollinis,
 Qui dextera felice diros
 Persequitur minuitque morbos.
 O pars meorum magna socialium,
 Hoc sume magnum tempore spiritum!
 O digne palma, digne lauro,
 Et meliore canende plectro!
 Sic te merentem postgeniti colant:
 Sic te quadrigis portet eburneis
 Excita iustâ laude Fama,
 Teque tuosque canat triumphos.

O D E X I V.

M A T T H Æ O E D I N G I O,

*Cum solenni Medici titulo in Academia patria
 ornaretur.*

E Dingi, quem Pieriæ fovere puellæ,
 Phœbusque Musarum Pater,
 Advenit tandem lux exoptata, laborum
 Qua digna nactus præmia
 Et claris auctus titulis meritoque decore
 Ad alta surgis sidera.
 Hoc hoc invigilans studiis non segnibus ætas,
 Hoc improbus præstat labor.
 Degeneres quo non penetrant, animæque perenni
 Quæ diffuunt in otio:
 Aut quibus est fœdo lymphatum pectus amore,
 Turpique thyrsu saucium.
 Templâ bonis tantum patuerunt mentibus illa,
 Divina templâ, splendida.
 Hæc exempla tibi dederat par nobile fratrum,
 Insigne par virtutibus:
 Quorum clara premis vestigia passibus æquis,
 Tanti decoris æmulus.
 Aspicias ut celfo Phœbus descendat olympo,
 Tibique laurum porrigat?
 Aspicias ut nostris applaudat patriâ votis,
 Ut vestra plaudat civitas?
 Sensit opis vestræ præfagia patriâ, sensit
 Exercitusque patriâ.
 O te quanta manet, juvenum doctissime, fama
 Et invidenda gloria!

Quamvis depascat sceleratus corpora mille
 Et Martis & Mortis furor,
 Forti animo, Edingi, contra non ire negabis,
 Mystes Hygiæ sedulus:
 Cui Medicina potens penetralia cuncta reclusit,
 Deditque vires noscere
 Herbarum, & vires morborum, artemque medendi:
 Præclara cui volumina
 Sunt indefesso dudum perlecta labore,
 Multa unde lecta copia:
 Quales mellilegæ volacres in collibus Hyblæ
 Amœna mella colligunt.
 Hac arte, ô felix, funesta morabere fata,
 Dirasque pestes exiges.
 Exuviaque feræ Morti subducere crebras,
 Et liberare corpora
 Unus erit labor & curarum summa tuarum.
 Hygia te supersitem
 Sic servet cura patriam felice tuentem,
 Et nomen illustret tuum.

O D E X V.

HADRIANO VELTERSIO

Cum Juris utriusque Doctor crearetur.

O Leida, mater nobilis artium,
 O Leida, quondam deliciae meae,
 Dignata me dextra favente
 Ducere Pieridum per arva!
 Ad sacra fauste me revocas mea,
 Novumque cogis tendere barbiton,

Ciesque languentes Camœnas,
 Et veterem renovas calorem.
 O nata lætis auspiciis dies,
 Qua ritè summis gaudet honoribus
 Velterius, magnisque tandem
 Præmia pro meritis reportat:
 Hoc usque præstat perpetuus labor,
 Et laudis ardor pectora concitans,
 Quæ separat vulgo profano
 Mens rapidis agitata flammis;
 Quæ robur acris judicii vehit
 Ad celsa quævis, quæ sibi subditum
 Nil non tuentur, pertinaci
 Ingenium stimulante cura.
 Sic jam triumphat, sic sibi debita
 Tropæa figit; fertaque laurea
 Dum tempora illius coronant,
 Inferitur numero virorum,
 Quos ipsa magni Diva Themis facit,
 Quos Phœbus ipse & Castalidum chorus,
 Quos Gratiarum triga, & ipsa
 Mellifluo fovet ore Suada.
 At tu, secundis æquora flatibus
 Permense, voti jamque tui ree,
 Te vince, majoresque acuti
 Ingenii dare perge fructus.
 Sic vecta terris & pelago super
 Te Fama cantet: sic pius omnium
 Tuorum ad astra excelsa latum
 Te celebret memoretque plausus.

O D E X V I.

THEODORO GODSCHALKIO

Cum Medicina Doctor crearetur.

Laboris hæc sunt præmia perpetis,
 Curæque merces splendida sedulæ.
 Sic ferta te exornant, tuosque
 Impediunt, Theodore, crines,
 Donata Phœbi & Piëridum manu,
 Quis tu litasti, strenuus, impiger,
 Deterritus sudore nullo,
 Et celerem meditans triumphum.
 Te sæpe serus viderat Hesperus,
 Te sæpe puro lumine Phosphorus
 Gnave laborantem, manumque
 Multiplices avida legentem
 Opes, repertas per studium vigil,
 Gazasque largas ponderis haud levis:
 Te sæpe lustrantem recessus
 Corporeos animæque sedem;
 Et quod stupendum docta volumina
 Præbent volenti noscere plurima,
 Nihilque vitanti molesti,
 Sed cupido sine fine laudis.
 Sic sic dabatur nomina noscere
 Salubris herbæ, floris, & arboris,
 Quæ terra producit Batava;
 Quæque aliis generantur arvis:
 Viresque miras, quas Pater indidit
 Illis supremus, qui creat omnia.
 Id præstat indefessus ardor,
 Et studium rapidum sciendi.

Exempla Fratris, qui nimis horrida
 Nimisque duræ succubuit neci,
 Raptatus in pulcra juventa,
 Qui fuerat mihi notus usu;
 Exempla fratris sic stimulos tibi
 Addant, & ultra te quoque provehant.
 O cresce laude, cresce fama
 In patriæ decus ac salutem.

O D E X V I I.

H U B E R T O H O P I O.

Optat rure apud eum esse.

Curis fessus edacibus
 Tecum rure tuis, dulcis amicule,
 Opto deliciis frui.
 Illic perpetuas sollicitudines
 Opto & ponere tædia,
 Quæ diris stimulis pectora lancinant,
 Et me mole premunt sua.
 Seu stratos viridi membra sub arbuto
 Mulcebit leviter quies: |
 Seu curas abigent appositæ dapes,
 Et dulcis pateræ meri:
 Seu nos alliciet lenè fluentibus
 Undis cæruleus Mosa.
 Hinc nobis veniet copia piscium
 Ductorum calamo levi.
 Interdum exigua ludere cymbula
 In parvo dabitur lacu.
 Hopi, sic placidi temporis otia
 Fallemus, non sine carmine,
 Quod laudes celebret pro meritis tuas.

O D E X V I I I.

A D E U N D E M.

Carmina sua nostrae amicitiae symbolum futurum.

Quis tandem modus est tui favoris?
 Quis tandem modus est, decus virorum,
 Quos sibi Themis alma consecravit?
 Quo te ducit amor tuus? juvena
 A prima mihi tot notas dedisti
 Insignes solidæ benignitatis,
 Quas numquam violare livor ullus,
 Nec virus potuit calumniantum,
 Solvendo ut nequeam esse par, dierum
 Si cursum mihi fata duplicârint.
 Nec vis languet amoris illa, amico
 Nec cessas bene de tuo mereri.
 Ergo jure tui notas amoris,
 Ergo jure mei notas amoris,
 Quo te prosequor, ô decus virorum,
 Quos sibi Themis alma consecravit,
 Nostra carmina, rite dedicatas
 Suspendo Philio Jovi tabellas,

O D E X I X.

In cultissima

A R N O L D I M O N E N I I

P o ã m a t a ,

Vernaculo sermone conscripta.

Melle dulcior Attico poeta,
 Omni nectare dulcior Moncni,
 Cui nil Aoniæ Deæ negârunt,
 Quam factum bene, quod tuos in oras
 Mittis luminis aureos libellos,
 Tot desiderii diu cupitos,
 Libellos fale gratiisque plenos,
 Quis nil cultius est politiusque;
 Quales non Batavis fuere viii!
 Seu Martis strepitum feri sonare,
 Seu pacem juvat explicare chartis;
 Seu mortem querulo referre canti
 Clarorum ingenii suis virorum.
 Quin & fistula Tityri aut Menalcæ,
 Pulcra fistula, parque Mantuanæ,
 Demulcet Siculis modis capellas,
 Et, per gramina dum vagantur, agnas.
 Sese ante omnia musteis videndam
 Virtus candida præbet in papyris,
 Virtus candida, voce quæ diserta
 Laudes ætherei Patris celebrat.
 Salvete, ô lepidi, aurei libelli,
 O longum domino decus libelli,
 Cui dudum Aonides Paterque Patrum.
 Daphnæa caput implicant corona;
 Præ quo, si qua mihi fides canenti,
 Nec Vondelius esse concupiscam.

O D E XX.

J A C O B O H O V I O.

Laborem quiete temperandum esse.

FRigus fugavit vernus hybernum tepor,
 Flant placidi Zephyri,
 Et prata floribus nitent.
 Formosus annus ridet, & grex alitum
 Carmina lata canit.
 Cœlum serenum nos vocat,
 Jacobe, & urbis repere è nido jubet.
 Invigilare libris
 Nefas amœno hoc tempore.
 Modum labori pone, Vir prudens, tuo.
 Regula certa monet
 Ne quid fit in vita nimis.
 Jungenda nimis est quies laboribus.
 Pondere sub nimio
 Ne mens fatiscat languida.
 Memor caducæ fortis animum gaudio
 Imbue non vetito,
 Et junge lata tristibus.
 Nec sperne, curas & timores anxios,
 Dum ruit hora rapax
 Dulci Lyæo pellere.

O D E XXI.

G U L I E L M O M O L E R I O.

Adolescentia cum eo transacta memoriam renovat.

Juvat, Moleri, mente, qua sola licet,
 Redire in illa tempora,
 Quæ nos amœno recrearunt otio.
 Juvat recordari dies,
 Quinque amoris, more fratrum, adamantino
 Videre junctos vinculo.
 Hoc Leida nutrix artium testabitur,
 Litusque vicini maris,
 Et ripa Rheni, quam pererrantes simul
 Curas fefellimus graves.
 Ut nos ab alto vidit Eous polo,
 Ut noctis auctor Hesperus
 Vidit jocantes, Liberique innoxia
 Læti trahentes pocula!
 Ego aut jacentes in tenaci gramine
 Sub arboris nigrae comis
 Sonus querentum nos movebat alitum,
 Ripisque labentes aquæ:
 Aut detinebat aureus vatium labor,
 Et sacra Musarum, tibi
 Dilecta, quantum non Neæra vel Lyce,
 Vel plena perfidiæ Chloë:
 Aut actus ipse nescio quo Numine
 Plectro fatigabam chelyn,
 Doctus dolorem pellere ex animo tuum,
 Et quas amor curas habet.

O tempus omni parte felicissimum!
 O nube liberi dies!
 Nec livor ipse nos tamen coarguat
 Torporis aut ignavia.
 Sed eruditi pulveris certamina,
 Si res gerenda posceret,
 Egere ad alta sedulos tentamina,
 Sive adyta Naturæ forent
 Scrutanda, rerum & causæ, & assiduæ vices:
 Sive è Medentum seriniis
 Petenda, morbos quæ valerent pellere,
 Diræque Mortis spicula.
 Hoc prædicaret eruditus Schachtius,
 Acerque Drelincurtius,
 Hac arte clari, publicæ decora rei,
 Ad nos referrent si pedem.
 Hoc cæteri, quos ater abtulit dies,
 Merfitque acerbo funere.
 Sed non negabit candidus Kappenius,
 Et flos virorum Moschius,
 Beneriusque, exemplar antiquæ fidei,
 Et quos superstites fovet
 Vitalis aura. Quanta ab illo tempore
 Mutatio accidit meis
 Tuisque rebus! Compari lætus tua,
 Nataque lætus indolem
 Referente matris exigis tuos dies
 In otio gratissimo.
 Me tetricarum jussa Divarum tenent
 Graviore vinctum compede,
 Nec illa juris esse me sinunt mei.
 Sed ista quid juvat queri?

Aqua ferendum est mente, si quid accidit,
 Quod corrigi haud quaquam datur.
 Patria remotus urbe sic vitam tero,
 Nec immemor tero tui.
 Hæc inter opto te videre, & hospitari
 Porrigere dexteram tibi.
 Quæ læta lux si fulserit, faciam diis
 Non ture, sed veteri mero.



DAVIDIS HOOGSTRATANI
 LYRICORUM
 LIBER III.

ODE I.

GULIELMO MOLERIO

Mediocris tatem tutissimam esse.



Ortuna ridet si tibi prospera,
 Tuamque fortem promovet altius,
 Quam Livor ater ferre possit,
 Te mala multa manent, Moleri.

Excelsa nutant, at mediocritas
 Est sola tuta. Is consuluit sibi,
 Quicumque prudens sortem uiramque
 Fert animo patienter æquo,
 Nec deprimens se rebus in arduis,
 Nec in secundis se nimis effrens.
 Qui semitam hanc trivit, beatus
 Supra alios merito est vocandus.

ODE II.

PETRO BENERIO

Æquam in quacunq̄ sorte mentem servandam.

Rebus in lætis nimis insolescens,
 Nec ferens sortem patienter æquam,
 Postea aduersæ graviora longe
 Vulnere sentit.

Ista, Beneri, effugiet pericla,
 Qui dolos norit variosque vultus
 Perfida Divæ, dubioque semper
 Stantis in orbe.

Ille in aduersis animum ferendis
 Præstat excelsum: sapienter ille
 Se gerit rebus nimium secundis,
 Pâr sibi semper.

ODE III.

AD JUVENTUTEM.

Virtuti à teneris incumbendum esse.

Floras in imas omnia transeunt,
 Hærentque cordis sedibus intimis,
 Ut postea expelli recusent,
 Quæ tenero documenta prima
 Haurimus ævo. Sedula tramites
 Recti juvenus si terit arduos,
 Vitare coctus gnava pravos,
 Propositive tenax honesti,
 Adaucta virtus incipiet modis
 Florere miris, seque propagine
 Extendere ingenti, tremenda
 Tartaræ domitrix cohortis.
 Sed cæcus error pectora si rapit,
 Atque à decori legibus abstrahit,
 Primamque munit pravitatem,
 Exoritur scelorum novorum

Fœcunda messis, deque suo negat
 Loco repelli. Fœda protervia
 Increscit, acquirisque vires,
 Admonitis cohibenda nullis.
 Quisquis senectæ sperat honoribus
 Frui, atque veris laudibus evehi,
 Æqui atque recti cultor esse
 A teneris meditetur annis.

O D E I V.

Indulgentiam Parentum liberis exitio esse.

Est magna patrum & prava licentia,
 Quæ liberorum crimina non videt
 Horrenda, quantumvis aperta,
 Et populo manifesta cuncto.
 Sic crescit atræ nequitia lucis,
 Et cœca pubes proficit indies
 In pejus, assuescitque pravam
 Ire viam, cohibente nullo.
 Sic vita tandem labitur huic graves
 Inter dolores, atque parentium
 Culpa execranda sempiterno
 Exitio incubuere nati.

O D E V.

N I C O L A O K A P P E N I O R

Omnia in hac vita esse incerta.

Emissi in oras luminis ut fumus,
 Novisque mundus præbuit incolis
 Locumque mansuramque sedem,
 Perpetuis rapimur procellis,

Et fluctuamus spe dubii & metu
 Inter dolorum continuas vices
 Et gaudiorum. Incerta cuncta
 Spem prohibent agitare longam.
 Insanit ergo, rebus inanibus
 Qui fidere audet, sed neque temporis
 Est gnarus hujus, disfluentis,
 Ut fluvii ruit unda præceps.
 Fuit profecto gens sapientior,
 Quam terra quondam Dorica protulit.
 Et orba quamvis luce veri
 Nos docuit meliora Roma.
 Hæc scena mundi est. Incipe noscere
 Res, quæ dolosa te specie movent,
 Ævoque, Kappeni polite,
 Disce tuo sapienter uti.

O D E VI.

C L A U D I O P O N T A N O.

Humilem vitam tutissimam esse.

Regii ne te moveat decoris
 Splendor excellens, generose Claudii,
 Quem stupet vulgus rude, quem profusis
 Laudibus effert.
 Hæret in pompa folii superbi
 Segnis inspector, specieque nuda,
 Qui putat Reges merito beatos
 Esse vocandos.

Ille non curas videt aut pericla,
 Quæ tegit fulgens diadema gemmis,
 Nec graves casus, quibus involuta
 Regia fors est.

O nimis felix, nimis ð beatus,
 Qui casa vili didicit latere,
 Et nihil sperans metuensve vanos
 Spernit honores!

O D E V I I.

JOACHIMO TARGERIO.

Ut contempta invidia bene rem gerere pergat.

Q Uem vita munit crimine libera,
 Et pura virtus protegit undique
 Tutum, ille linguas virulentas
 Ridet, & invidiæ venena,
 Instarque muri perstat ahenei,
 Quem nulla moles subruit, & sua
 Virtute se involvit, quietum
 Nulla animum stimulante cura.
 At Livor ater plectitur indies,
 Crucesque sentit, quas aliis parat,
 Vanos & impendit labores,
 Quis animum proprium fatiget.
 Ne te furentis terreat impetus,
 Tibique cœptum consilium premat.
 Sed mente firmata inchoatam
 Ire viam, Joachime, perge.
 Hac Fama pernix te vehet inclitum,
 Vanisque vulgi cœtibus eximet:
 Tuumque non ingrata discet
 Posteritas memorare nomen.

O D E V I I I.

Rempublicam sine legibus nullam esse.

Q Ualis per omnes pontus agros ruit,
 Cum mole rupta volvitur aggerum,
 Et rusticos sternens labores
 Cum stabulis pecus omne raptat:
 Tali furore accenditur effera
 Oestroque turpi percita gens, sacro
 Cum vinculo legum soluto
 Flagitium meditatur omne.
 Hinc publicarum forma decens cadit
 Rerum: hinc Honesto nil superest loci:
 Specusque latronum videtur
 His furiis agitata turba.
 Sed civium secura quies manet
 Legum sub umbra, nescia dejici
 Gradu, imperi donec vigorem
 Nemo manu violat scelestæ.

O D E I X.

P A U L O E D I N G I O.

Humano intellectui omnia non patere.

O Ppressa densa humana mens caligine
 Scrutatur incassum, nefas
 Mortalibus quæ scire. Sunt certi modi,
 Certique, Paule, termini,
 Quos transilire providus vetat Deus.
 Inutilis labor perit

Conantibus majora quam vires finunt,
 Audacis instar Icari.
 Qui quidpiam nescire dedecus putat,
 Vana tumet superbia,
 Sibique plausum stultus ingeminat novum,
 Palpet tenebras ut meras,
 Inanibus deceptus eheu somniis
 Lascivientis ingeni.
 Sic inquietum ventus exercet mare:
 Sic fidus hyberni Jovis
 Ciet procellas navigantibus graves.
 O mentium infelix status,
 Quas pertinaces lancinant semper cruces,
 Et pestilens vexat tumor!

O D E X.

Juventutem studiis excolendam esse.

CRedat juvenus: pulcra res est liberis
 Coluisse pectus artibus.
 Tellus aratro non subasta rustico
 Herbas inutiles creat:
 Sic destitutum pectus humanum suo
 Cultu nihil producere
 Potest decente perpolitum industria:
 Sed impetu caeco ruit
 Quo raptat ardor esserae cupidinis.
 Majore cura nil eget,
 Majore nil labore, quam primo vicens
 In flore, pueritiae chorus.
 Hic sedulo fingendus est instar luti,
 Acricque tornandus rota.

Natura patrum transit in propaginem,
 Ut planta naturam refert
 Et indolem telluris, è qua prodiit:
 Sed auget educatio
 Fidelis hoc quod insitum fuit boni,
 Mores & emollit feros.
 Sic spes parentum crescit in longum decus,
 Ut arbor ad ripam viret
 Latura fructum posteris nepotibus.
 Sic filius vincit patrem.
 Credat juvenus: pulcra res est liberis
 Coluisse pectus artibus.

O D E X I.

FRANCISCO HASIO.

*Longam esse viam per praecepta, brevem
 per exempla.*

PRisca viros ætas celebres tulit omnibus istis,
 Quis format Sapientia mentes,
 Largiter instructos. Vita alluxere regendæ
 Inde faces, & regula nostris
 Præfixa est inde officiis, ut nulla recedat
 Pars à recti finibus umquam.
 Sed solet iste modus spinis gaudere molestis,
 Et salebris horrescere duris,
 Dum praecepta labor morosus conferit ista,
 Et producit tædia longa.
 Monstrat in exemplis doctor prudentior omnes
 Articulos numerosque decori,
 Explanans quid sit fugiendum, quidve sequendum,
 Ne mens nostra affectibus ægra

Aut ruat in præceps, aut longo errore trahatur.
 Hinc illi non vana voluptas,
 Lux non vana oritur, permiscens utile dulci,
 Imos quæ gratissima sensus
 Influit, & vitam suavi moderamine munit.
 Hanc, Hæsi, servare memento
 Musis care, viam. Sic mille pericla cavebis,
 Et duces feliciter ævum.

O D E X I I.

*Nimiam parentum in liberos indulgentiam
 reprehendit.*

Amor parentum sobrius ni filiis
 Ad recta præluet facem,
 Errore sese decipit turpissimo,
 Cœcumque se præbet ducem,
 Qua fraudulenta tendit in crimen via.
 Qui nescit intra limites
 Hic se tenere, liberos perdit suos
 Multissima licentia.
 Sic cara proles fertur in præceps, metu
 Cohibenda nullo, & fœditas
 Se plurimis aperta prodit arbitris.
 Hinc exigunt tristes dies,
 Quos nimia sic corrupti indulgentia,
 Exerciti doloribus
 Sine fine acerbis, nec levandis ulla ope.
 O noxiam morum luem!

DAVIDIS HOOGSTRATANI
 EPIGRAMMATUM
 L I B E R.

I.

De Phyllide.



Rit me grato Phyllis formosâ nitore,
 Et quatit ardentem in mea corda faces.
 Nec tamen insanos possum vitare calores,
 Et redeo ad flammam, quæ nocuere prius.
 Ah lento consumi igni, tandemque perire
 Et redigi in cineres, candida Phylli, velim,
 Si modo, cara, tuo tumulari pectore possim.
 Quod magis exoptem nil mihi fata dabunt.

I I.

E I D E M.

Quando tuam adspicio formam, pulcherrima Phylli,
 Ah quo me lædit vulnere sævus amor!
 Hinc cruciant animum languentem mille dolores.
 Hinc mihi perpetuo lumina rore madent.
 Spem quoque consumpsit (qua demta quid mihi restat?)
 Majestas vultus imperiosa tui.
 Nec tamen obstabunt lacrimæ, nec mille dolores,
 Ex toto quin te pectore semper amem;
 Sive, mea indomitæ torrent dum viscera flammæ,
 Me tandem cupias vivere, sive mori.

III.

Eidem cantanti.

O quæ secura arboreis spatiaris in umbris,
 Et nova divinos das Philomela sonos,
 Quis tibi, Phylli, Deus tam miras tradidit arte,
 Et docuit cantu corda movere tuo?
 Istam mirantur vocem volucresque feræque,
 Miratur densis & nemus omne comis.
 Mirantur fluvii suspensis undique lymphis.
 Te juga, te saltus deviaque antra stupent.
 Ah quid agis, Phylli? æthercam parce edere vocem.
 Jam mea, jam linquit spiritus ossa levis.

IV.

Ad Deliam.

Cum superes omnes forma præstante puellas,
 Delia, quas umquam terra Batava tulit,
 Parce, precor, vano nimis indulgere labori:
 Sitque tibi curæ, præter amare, nihil.
 Te sibi formosus pulcra cum matre Cupido
 Vendicet, & curas in mare ventus agat.
 Crede mihi, tunc majori decorata nitore,
 Lucida virginici gemma ferere chori.
 Sed tibi nullus amor cordi est: cessisse senectæ
 Intempestivæ visâ juvenuta tua est.
 Crede mihi, tetricis stultam est incumbere rebus,
 Ut currat tristi squalida nube dies.
 Sat cito mors properat sævis armata sagittis,
 Quæ tollit dira gaudia cuncta manu.
 Ah tibi sperata serpent in viscera flammæ,
 Delia, dum fas est, dum tua forma viget.

V.

Ad eandem.

Quid dubitas ultra de nostro, Delia, amore?
 Quid dubitas? fines non habet ille suos.
 Scit puer Idalius nostros, mea vita, furores,
 Et quæ fluctivago Diva creata mari est.
 Utinam credas mihi, Delia, vera fatenti!
 O utinam pariter me redamare queas!

VI.

De Daphne.

Extinxit Daphnen rigidæ inclementia Mortis,
 Duraque formosum frigora corpus habent.
 Mœsti Venus luget, mœsti lacrimantur Amores,
 Et Charis, & sævo vulnere læsus Hymen.
 Et quæris, cur astra vocet crudelia Damon,
 Qui videt in ventos spes abiisse suas?

VII.

Ad Æmilianum.

Sæpe rogare soles, cur non tibi carmina mittam,
 Abstineamque sacris, Æmiliane, meis.
 Sed minus id quæres, si noveris, Æmiliane,
 Quis sint corda mihi faucia vulneribus.
 Ex quo sævus Amor me læsit cuspide, vivo
 Oblitus citharæ, cum citharaque mei.
 Sed tollat tristes si Delia nostra labores
 (Namque meos casus sola levare potest)
 Fiet ut ad solitos lusus, mea sacra, revertar,
 Simque memor citharæ cum citharaque mei;
 Tunc tibi non versus umquam, carissime, deerunt,
 Quodque legas, semper Delia nostra dabit.

VIII.

Ad Neeram.

Sive venit surgens roseis Aurora quadrigis,
 Sive redit tenebris Nox adoperta caput,
 Agmine curarum, quæ me sine fine fatigant,
 Obruor, & lassò non datur ulla quies.
 Non aliter Scythica fixi convalle Promethei
 Immortale jecur sæva laceffit avis.
 Et tamen obduro rupis de more, sonoro
 Impete quam tundit vis inimica maris.
 Dura Neera, jugis Scythicis tristisque volucris
 Durior, & lacrimis non superanda meis,
 Dura Neera, meum frustra convellere pectus
 Tentas, & titulum mortis habere meæ.
 Nam me fata volunt longis cruciatibus actum
 Sive meam in pœnam vivere, sive tuam.

IX.

Amor dulce malum.

O crudelis amor, vivæ mihi mortis imago,
 Quod perco, & lento maceror igne, tuum est.
 Quis tibi divorum, nimium violente Cupido,
 In miseros tantum juris habere dedit?
 Vana queror: fugiens omnem mens ipsa medelan
 Vulneribus sequitur tela cruenta suis.
 Sit nobis vitam in dulci fas ducere amore!
 In dulci nobis fas sit amore mori.

X.

Novam se amori prædam esse.

Bella movet nobis iterum violenta Dione,
 Ingeminatque fera vulnera sæva manu.
 En iterum longo turgent mihi lumina fletu,
 En versat curas visâ puella meas,
 Visâ puella mihi spatianti in margine ripæ,
 Qua volvit celeres Mosa sonorus aquas.
 O formæ decus! ô plus quam mortalis imago!
 O oculis nimium grata puella meis!
 Ardemus, veluti rupes ignita Vesèvi;
 Flammarumque minus Sicelis Ætna gerit.
 Felices nimium, quorum constantia semper
 Pectora nec Cypris, nec ferit acer Amor!

XI.

Ad Invidos.

Quamvis sacrorum teneat te nausea vatum,
 Livor iners, docti sæve tyranne chori,
 Quamvis nec moveant fontes Aganippidos undæ,
 Quamvis nec Clario pectora plena Deo:
 Non tamen idcirco damnabo carmina tecum,
 Nec minus optatæ fila movebo lyra.
 Rumpere, Livor iners: nec enim tua dicta moramur.
 Est mihi fat dominæ posse placere mea.
 Expetit illa meos versus, & voce canora
 Exæquat numeros, non minor arte, meos.
 Hi dant purpureis felicia jungere labris
 Oscula, & in dulci ducere amore dies.
 Rumpere, Livor iners: nec enim tua dicta moramur.
 Exultarant vitam cantus amorque meam.

XII.

De Phyllide.

Phyllidis in labris resident Risusque Jocique;
 Et Lepor argutus, Blanditiæque leves.
 Et cuncta ut paucis perstringam, ducit in illis
 Cum Charisim latos Cypria Diva choros.

XIII.

In Cantum Luscinia.

Ingens Harlemii nemoris, Philomela, voluptas,
 O decus, ò campis gloria multa tuis,
 Regina alituum, quæ cantibus æthera mulces,
 Dulcifona solers voce movere Deos;
 Te fluvii attendunt, resonat te in vallibus Echo,
 Et leni gestit murmure latus ager.
 Te, Philomela, levi modulantem gutture cantus
 Excipit expanfis arbor amica comis.
 Tu quoque cum possis varios lenire dolores,
 Attenuas curas diminuisque meas.
 Ite procul, curæ mordaces, ite labores.
 Hæc est vulneribus grata medela meis.
 Hæc me lætificat, caros recreatque sodales.
 O labor, ò curæ, vos procul aura ferat.

*In nemore Harlemensi
 prid. kal. Jun. cId Idc xcviij.*

XIV.

In Neæra effigiem.

Picta est, & viva nil differt picta Neæra.
 Illa caret sensu, nec minus illa caret.

XV.

Amplissimo Nobilissimoque Viro

D I D E R I C O B A S,

Urbis Amstelædamensis Consuli,

*Pro vino, sub id tempus, quo pax celebra-
 manda esset, ad se misso*

G R A T I Æ.

Rhenani laticis mittis mihi, Consul, honorem,
 Lætificantque animum Bacchica dona meum.
 Illa mihi præstant, quod prisca vatibus olim
 Bellerophontæ præstitit humor equi.
 Cumque Deus nostras venas non tetricus implet,
 Nescio quis mulcet pectora nostra calor.
 Inque leves versus istis calcaribus acti
 Imus, & in laudes solvimus ora tuas.
 Votaque fundentes sincera mente precamur,
 Ut tibi sint vitæ tempora fausta tuæ:
 Ut pax, curarum nuper pars magna tuarum,
 Et desiderio sæpe vocata tuo,
 Incolat has terras, nullo turbanda tumultu,
 Proterat & pedibus Martia signa suis.
 Ignibus hanc festis nobis celebrare Senatus,
 Tu vino, Consul, das celebrare tuo.

XVI.

Ad Urbem

AMSTELÆDAMUM

O Belgicarum ocellæ civitatum,
 Ocellæ mundi, clara mater artium,
 Dilecta doctæ non minus Tritoniæ
 Novemque Musis, quam tuo Cyllenio,
 O Amstelæ Urbs, ô patere me dici tuum.
 Non indecorus sum futurus incola,
 Nec degener; paratus at laudes tuas
 Celebrare, ut æquum est, transigam meos dies
 Nunquam favoris, Diva, non memor tui,
 Quo me beasti, quoque fecisti tuum
 In omne tempus. Cresce fama ac nomine,
 Quæ pontus omnis, tota qua tellus patet,
 Firmata jugi civium concordia,
 Quam non Gradivi turbet impius furor.

XVII.

Nobilissimo & Amplissimo Viro

FRANCISCO DE VICO

Urbis Amstelædamensis Consuli,

Cum Ei poemata sua vernacula mitteret.

Magnanime Consul, patriæ decus grande,
 Vir clare, magnum humanitatis exemplar,
 Vultu sereno admitte Belgicam Musam,
 Donec Latinâ veste tecta prodibit.

Admitte, quæso, innoxiam & integram morum,
 Diçteriiisque nemini gravem fœdis:
 Sed patriam, bonosque laudibus cives
 Justis ferentem, quando nata res poscit.
 Sic te tuamque conjugem Deus servet,
 Tuosque natos provèchat suo ductu
 Ad celsa quævis, patriasque virtutes.
 Sic sic peracto, fata quem volent, cursu
 Redeas beatas serus ad poli sedes.

XVIII.

JANO BROUKHUSIO.

*Cum suos in Propertium Commentarios edere
 differret.*

Broukhufi, Aonii chori sacerdos,
 Broukhufi, pater omnium leporum,
 Properti redivive, quid moraris
 In lucem tua ferre scripta, lucem
 Affusura tui libris Properti?
 Cernis poscere cernis illud omnem
 Doctorem numerum chorumque Phœbi,
 Conantem prece te movere multa,
 Ut te respicias, tuamque famam
 Extendas magis auro labore:
 Cui vecordia nil nocebit, illa
 Virtutis comes arduæ cruenta:
 Armata ut veniat suis sagittis,
 Instructa ut veniat suis venenis.
 Quid claudis pluteo polita scripta?
 Tandem rumpe moras, tueque curæ
 Aufer præmia, nec time fremantis
 Moris invidiæ, aut venena dira.
 Quam pavent alii, tuum est domare.

I. 4

XIX.

XIX.

Viro Nobilissimo

JOANNI SIXIO,

*Domino in Wimmenum, & Fromade, Civitate
Amstedamensis Consulari,*

MAGNO ANTIQUITATUM CULTORI.

Sic tibi felici decurrat tramite vita,
 Lataque lux meritis convenienter eat,
 Ut tibi sunt cordi, quæ nobis cana verustas
 Exhibet, à longo pœne peresa situ.
 Qualia vel nobis Hellas, vel Roma reliquit,
 Roma Deum sedes, Imperiique domus.
 O laus admiranda virum, quos purpura vestit!
 O amor, ô urbis cura decusque tuæ!
 Per te spectamus Latios spirantia vultus
 Æra, & quas tellus invida pressit opes.
 Per te spectamus simulacra ex arte vetusta,
 Qualia Phidiaca sculpta fuere manu.
 Qualia Praxiteles produxit, qualia dudum
 Finxit Apelleus perpoliitque labor.
 Per te nomen habent obducta æruginè signa,
 Nomen habet prisici funeris urna novum.
 Nec laus nulla datur Samiæ pretiumque patellæ,
 Si modo det veteris temporis illa notas.
 Hæc tibi, sancte stænex, delectant otia mentem.
 Hæc grata curas utilitate levant.
 Nec te turba minus vatum capit, enthea turba,
 Aonidumque chorus te sua sacra docet.

Cernitur hinc in regali Medea cothurno,
 Et diro gemitu tota theatra mover.
 Nec te vita gravat post octogesima liba,
 Ad natalitium munera lata Deum.
 At tibi dent, Sixi, tranquillam fata senectam,
 Et faciant longos te superesse dies.

XX.

PETRO FRANCIO.

Incrementa meæ sumserunt quanta camœnæ!
 Accendit quantus pectora nostra calor,
 Cum se non fictæ, præsentia Numina, Musæ
 Sistebant oculis, magne poëta, meis!
 Tunc juga Parnasi, totumque Heliconæ referre
 Et fontes sacros est mea visa domus.
 Tu quoque tunc Phœbi munus partesque tuæri
 Visus es, & toti tradere jura choro.
 Edebas cantus, Divæ assensere canenti,
 Inque meis tectis undique plausus erat.
 Ipse ego cœlesti vocum dulcedine raptus
 Inveni faciles in mea vota deas.
 Inque tuas laudes mea protinus ora resolvi,
 Ora ex hortatu facta diserta tuo.
 Quod mihi si præstes solitum, nove Phœbe, favorem,
 Vertice sublimi sidera summa petam.

XXI.

IN

JACOBI WILDII

Gazophylacium.

EN tibi, spectator, Romani nominis umbras:
 En tibi quas Hellas clara reliquit opes,
 Annosos lapides, veterum monumenta virorum,
 Erutaque ex imis ara vetusta vadis.
 Tempus edax rerum rapidos injecerat ungues,
 Et nimium ipsiſis conſiderat tenebris.
 Creverunt tenebræ, & rapuerunt omnia ſecum,
 Et damno ingeniis iſta ruina fuit.
 Non tulit, & labem pepulit caliginis atræ
 Wildius, & luci reddidit illa ſux.
 Dumque ſua ſtudiis cura vigilique labore
 Prodeſt, & famam comparat inde ſibi,
 Non minor hæc illi laus eſt, veneranda vetuſtas
 Quos capit, officiis demeruiſſe novis.
 Felicem ſtudi, meritoque decore celebrem,
 Doctorum grates cui chorus omnis agit!

XXII.

JOANNI THEODORO SCHALBRUCHII

Vota novi anni initio.

EN tibi non ſolito prodit novus annus honore,
 Inque tuam cumulat proſpera multa domum.
 Ille tuam famam auſpiciis, vir doctè, ſecundis
 Proferet, & nomen mittet in aſtra tuam.
 O ſilve Amſtelix clarum decus addite terræ,
 Salve præluſiri conſpiciende toga.

Saceratis ardet ſtudiis devota juvenus
 Te duce Pieriis invigilare choris.
 Jamque avide nova turba tuo pendebit ab ore,
 Dictaque ſuſpenſa combitet aure tua.
 Vive diu felix, & largi munera carpe
 Numinis. hæc voti ſumma caputque mei eſt.

XXIII.

JOACHIMO TARGERIO.

*Ut opus Medicum, à ſe conſcriptum, in
 lucem edat.*

Quid premis exultos multo ſudore libellos,
 Immitis ipſe in filios pater tuos?
 Obscuris quid demergis tua ſcripta tenebris,
 Datura famam & nomen inclitum tibi?
 O exi tandem Phœbo duce & auſpice Phœbo,
 Qui largus artes tradidit tibi ſacras!
 Procede, & merito tandem decorandus honore
 In conſulendo patriæ vitam tere.

XXIV.

Ad LUCIUM.

Mœrore aſſiduo curiſque fatigor amaris,
 Et languentem animum pondera dura premunt.
 Et tamen ad verſus redeo, nugæque capeſſo:
 Nam nugæ, Luci, carmina cuncta vocas.
 Quid tamen illud obeſt, exoſe poëtica ſacra,
 Si nugis morbo fit medicina meo?

XXV.

X X V.

Vite brevitās.

Quid dignitates quæritamus aut opes?
Est vita flos, est ventus, est prorsus nihil.

X X V I.

Ad Cæcilium.

Quamvis auribus esse diminuti
Dicamur tibi, Cæcili venuste,
Quod magnum vitium tibi videtur;
Audimus bene te calumniantem,
Et nobis aliisque detrahentem:
Audimus bene sibila & cachinnos,
Te quis excipit erudita turba
Insulsum, genitum Minerva iniqua.
Nos surdi sumus: at tamen probare
Arguitas datur aure cantilenas,
Quod tibi Aoniæ Dææ negârunt.

X X V I I.

GULIELMO MOLERIO.

Sic est, amice, colere pergimus sacras,
Ut ante, Musas, invidis frementibus.
An si farentis ira sæva Campii
Me læsit, aut simillimorum Campio,
Inultus imbellisque deponam styllum,
Scindamque libros? aut si ineptus Mævius

Me dente nigro mordet; aut Censor malus
Fastidiosos oscitationibus
Non dubia mentis signa dat suæ, meum
Opus relinquam? Non finit certe Deus,
Calesco cujus igne, nec vivo meus.

X X V I I I.

In Natalem Parentis.

Dicamus bona verba. Lux cupita
Fulfit alite prospero. Precamur,
O pater, placidam tibi fenestam,
Turbatosque dies dolore nullo,
Nec dulci citharæ sono carentes,
Quo laudas Dominum Patremque rerum:
Dum rerum saturum probata virtus
Tollet te superum ad beata regna.

X X I X.

Carmina sua mittit

NICOLAO KAPPENIO.

Mista tibi nugis, Kappeni, serâ mitto.
Ignosce confesso mihi.
Cur minus ignoscas? cum sint communia amicis
Et serâ & nugæ simul.

X X X.

XXX.

Fortuna inconstantia.

A Urea si vis
 Otia tuta
 Carpere vitæ,
 Desine vanæ
 Fidere forti,
 Desine fluxis
 Credere ventis,
 Quis agitur
 Lubricus orbis.
 Ille beatus
 Non valet esse,
 Qui timet atræ
 Fulmina fortis,
 Aut male firmæ
 Sperat amorem.

XXXI.

In effigiem

LEOPOLDI I.

Romanorum Imperatoris.

T Error Getarum, Christiani nominis
 Illustre fidus, lucet hac imagine,
 Leopoldus, ille Martis æternum decus,
 Amorque Pindi, quo celebratus volat
 Per ora vatium. Clara sic virtus viget
 Delenda nulla seculorum injuria.

XXXII.

Effigies

ADRIANI AB OOSTRUM

Ecclesiastæ Amsteladamenfis.

EN lætum, quo spirat amor tuus, Amstela, vultum,
 Quo pietas sese prodit & eloquium.
 Hunc pariter Batavi pariter stupuere Britanni,
 Et merita certant tollere laude virum.

XXXIII.

Effigies

JANI BRANTII.

EN tibi Brantiadæ faciem, cui Belgica Pitho
 Saxeæ vi linguæ corda movere dedit:
 Quem pietas animat nullo fucata colore:
 Cujus ab æthereo nectare labra madent.
 Cernis Avi hac tabula speciem clarique Parentis,
 Virtutesque pares, & parile ingenium.

XXXIV.

Effigies

MARIÆ WILDIAE.

Hoc sese præbet spectandam Wildia vultu,
 Wildia, Virginei fulgida gemma chori:
 Dilectum Charilin nomen, castæque Minervæ,
 Ornamentum patriæ delictumque domus.
 Nempe una duce Natura grassatur ad artes,
 Et debet dotes, quas habet, ipsa sibi.
 Exprimitur merito facies industria caelo,
 Cui nomen quondam nobile caela dabunt.

XXXV.

XXXV.

XXXV.

Aliud

IN EANDEM.

AMor parentum, amorque virginei chori
 Expressa lucet hæc tabella Wildia:
 Quæ glorioſo concitata ſpiritu
 Sexuque major artibus capitur bonis
 Et cæla tractat. Hinc paternam induſtriam
 Maniſtat orbi, particeps adoretæ,
 Qua muneratur turba doctorum patrem.

XXXVI.

AD LUCIUM

De invidia.

Quid quereris quod te lædit ſine crimine livor,
 Et vomit in nomen dira venena tuum?
 Hæc ſunt, ſi neſcis, virtutis præmia, Luci.
 Non fuit in mores invidia ulla malos.
 Tu modo deride conamina vana furentis,
 Quod facis, & coeptam carpere perge viam.
 Non alia fatale malum ratione domatur,
 Non alia, Luci, victor abire potes.

XXXV

XXXVII.

JOANNI LUNIO.

Natali ſuo.

Natalis meus eſt. Luni, jucunde ſodalis,
 Huc age ſer celeres ad nova ſacra pedes.
 Annoſo tibi ponemus ſpumantia vino
 Pocula, Lenæi munera lata Dei.
 Nec deerunt riſus, nec ſuaves, Jane, lepores,
 Argutique ſales, & ſine felle joci.
 Sic Heliconiadum faveat tibi turba Sororum,
 Et maneat genio ſemper amica tuo.
 Eia age, curre, vola. Quid enim mea vota moraris?
 Nunc exorta, ruet mox fugitura dies.

XXXVIII.

Viro Nobiliſſimo

MATTHIÆ BELARTIO,

Cum Carminibus ſuis.

Si licet, & pateris, tenues tibi mitto libellos,
 Munera pro magnis exigua officiis.
 Digna magis mittent alij. de paupere fundo
 Nos tibi, Belarti, vilia dona damus.

M

XXXIX.

XXXIX.

Eadem mittit

HUBERTO HOPIO.

AD te meorum mitto carminum exemplar,
 Hopi, meorum magna pars amicorum.
 Quæ si polita non fati's videbuntur,
 Nec tibi queunt placere forsan ex sese,
 Non displicebunt forte propter auctorem.

XL.

Contemptus bonarum literarum.

O saculum insipiens! ô mores temporis hujus!
 Barbaries pretio non caret ulla suo.
 Damnantur sacri contemnunturque poëtæ
 Omnibus, & nullum carmina nomen habent.
 Tandem scinde tuos, infelix Musa, libellos.
 Nec rem, nec famam carmina vana dabunt.

XLI.

De Invidia.

Summa petit livor. causa est mihi nulla timoris,
 Cum sit trita meis area parva rotis.
 Jupiter in summos jaculatur fulmina montes:
 Percutiunt humiles fulmina nulla casâs.
 Invidiam timeant magnorum carmina vatum.
 Securum invidiæ me mea Musa facit.

XLII

XLII.

In Calumniantes.

Quid mihi fecisti furiosa calumnia, nomen
 Quæ toties lædis dilacerasque meum?
 Irrita tentârunt vanæ sine viribus iræ:
 Ipse tuas vindex fregit Apollo minas.
 I procul execranda, tuo crucianda dolore
 Semper, & in poenas vivere perge tuas.

XLIII.

De patria sua.

Stat vetus & totum fama celebrata per orbem
 Urbs, & de Rottæ nomine nomen habet.
 Illa mihi patria est. hic me genuere parentes,
 Hic egi vitæ tempora prima mea.
 Hic mihi sunt primum cœlestia sacra reclusa.
 Hic Musæ dotes me docuere meas.
 O clara ingeniis, ô magni mater Erasmi
 Nobilis, ô æqui maxima cura poli,
 Non ego sic vivam, non te spirabo relicta,
 Nominis ut possim non meminisse tui:
 Sed subit illa tui facies pulcerrima Mose,
 Ruraque, quæ tenero sunt mihi trita pede;
 Sed subit illa tui constans clementia cœli,
 Et virides ripæ, vivaque semper aqua.
 Præcipue subeunt studiis exculta sacratis
 Pectora, convictus dulcibus membra mei,

M 2

Vivite

Vivite cœlestes animæ, quas ardua virtus
 Aurea difficili ducit ad astra viâ.
 Et tu vive precor nostri non immemor ipsa
 Patria, nec cantus respice, cara, meos.

X L I V.

Ad Sextilianum.

Fortunam, quæ te ditavit, discite timere:
 Non manet in certo, Sextiliane, loco.
 Mobilis est semper, nec vultum servat eundem,
 Permutatque suas perfida Diva vices.
 Si volet hæc, stabis firmus, felixque fereris:
 Si volet hæc, iterum, Sextiliane, cades.
 Quanto divitiæ quaeruntur rectius illæ,
 In quas Sors poterit juris habere nihil!

X L V.

Ad Virum Nobilissimum

JANUM WITTIUM,

Instructissima Bibliotheca possessorem.

Laus generis præclara tui, cultissime Wittii,
 Aonio Wittii portus & ara choro,
 Ut stupui nuper, mihi cum tua sacra recludens
 Prodebas studii tot monumenta tui:
 Innumeris cum tu circumdatus undique libris
 Monstrabas oculis pignora rara meis;

Pignora

Pignora, quæ mundi domitrix tulit inclita Roma,
 Pignora, quæ quondam Græcia culta tulit;
 Annotos lapides, veterum simulacra deorum,
 Atræque de terris eruta deque mari;
 Et varia historias specie referentia prisca
 Marmora, & inscriptis conspicienda notis.
 Salve doctorem columnen præsigne virorum,
 Qui narrant dotes commemorantque tuas.
 Vos quoque thesauri longum salvete perennes,
 Et placida semper pace tenete locum.
 Nec minus ô salve, merito quæ jure superbis
 Ingenio domini, bibliotheca, tui.
 Et celebrata mane, donec sua gloria stabit
 Non fastiditis & decus ingenitis.

X L V I.

In Funere

Illustris atque Amplissimi Viri

OANNIS SIXII,

Domini in Wimmenum, in Fromade &c.

Consularis.

Tandem supremum Sixius clausit diem,
 Laus magna vatum Sixius, laus Consulum,
 Flos patriæ, Vir factus ad præcam nivem.
 Tacet diserta lingua, qua sedit Charis
 Conjuncta Suada. Mortis heu sævæ rigor

M 3

Terris

Terris ademit integerrimum caput.
 Sed pura virtus, candor, & prudentia,
 Gravesque curæ pro salute publica
 Vivent in omne tempus, & nequeunt mori.
 Quare cessant lacrimæ, luctus notæ,
 Et ejulatus, lugubresque naniæ.
 Curis solutus omnibus, vitæ satur,
 Meliore vita in cœlitum fruitur choro.



C A R M I N U M.

CARMINA SACRA:	3
ELEGIÆ.	29
JAMBICA.	97
LYRICA.	113
EPIGRAMMATA.	159

